

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Ortus et progressus aedium religiosarum Viennensium**

**Thonhauser, Gottlieb**


**Viennae, 1727**

[urn:nbn:de:bsz:31-91403](#)



P. F. Dominicanae Ordinis  
Servorum B. V. Marix.

77A 17720 RH



MA 39

ORTUS,  
ET  
PROGRESSUS  
ÆDIUM  
RELIGIOSARUM  
VIENNENSIMUM  
HONORIBUS

*Per illustrium, Reverendorum,  
Prænobilium, &c.*

DOMINORUM, DOMINORUM  
Cùm

*IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VIENNENSI*

*PROMOTORE*

R. P. THEOPHILO THONHAUSER,  
è Societate Jesu, A.A. L.L. & Philos. Do-  
ctor, ejusdémque Professore Emerito, Se-  
niore Confistoriali

*Supremâ AA. LL. & Phil. Laureâ insignirentur,*

A  
RHETORIBUS  
VIENNENSIBUS  
DICATUS

*Anno M. D. CC. XXVII. decimâ die Julii.*

Vicenæ, Typis Wolfgangi Schwendimana, Univers. Typogr.

ak

79.A 17220.RH

z.v

Perillustres , Prænobiles ,  
Reverendi  
DOMINI, DOMINI  
**NEO-DOCTORES.**

**D**um Suprema Vobis Philosophiaæ Laurea defertur , & nos pro instituto munus nostrum deferimus ; aliud longè , ac meditabamur : Ortum , progressumque Ædium Religiosarum Viennensium honori Vestro inscribere paravimus , munus , nostrō certè judiciō , à rei materie placitum . Quid si profanæ nonnunquam urbis ædes , descriptæ penitus , placere poterant ad eū , cur sacræ displiceant , à quibus decus longè amplissimum urbi accedit ? Verum creduli nimium porrigenda nobis ultrò documenta speravimus , quæ ne precibus quidem poterant impetrari . Mancum exinde magna ex parte opusculum nostrum est , prolixius alibi , alibi brevissimum . Non nostrō id quidem vietio , sed eorum parsimonia , qui ignorari res suas , ac sciri maluere . Non partium studiō agi nos credite ; sed , strictiori dum usi sumus galat-

calamō, quod scriberemus, defuisse. Ordinem  
desideratis? neque à locorum dignitate, aut  
annorum numero eum petere poteramus,  
dum non nisi recentissimè documenta quæ-  
piam obtigerunt, reliquis industriâ quali-  
cunque nostrâ jam typô paratis. Ceterum,  
si non benevolô, saltem non indignante nos  
oculô arbitramur respiciendos. Videbitis  
exiguo hoc in munere, si præterea mentem  
superiora in tempora reflectatis, quæ ali-  
quando, quāmque tetra Viennæ facies, præ-  
cipue cùm fureret hæresis; sanctiorem ve-  
rò, quam etiam num præfert, Religiosorum  
potissimum Cœtum operâ inductam; quæ  
bodiedum pietatis servandæ, favendæ, am-  
pliandæq; præsidia inde suppeditentur; quæ  
commoda deinceps speranda sint, intellige-  
tis. Ridebitis calumniantium errorem, qui  
nempe ignorent, quibus debeant plurimū.  
Vobis vel ideo deferri oportuit, quos Phi-  
losophia rectè sapere docuit, laureâq; reddi-  
dit dignissimos; quam pro nostro in vos stu-  
dio obtentam bodie gratulamur

Honoribus vestris

Addictissimi  
Rethores Viennenses.



## Monasterium B. V. Mariæ vul- gò ad Scotos.

**E**nricus secundo-genitus S. Leopoldi Marchionis Austriæ, primus Austriacorum Dux fortitudini bellicæ, à qua leo dicebatur, insignis etiam pietatis laudem adjecit. Dum bellò feliciter confessò, Theodorà Emanuelis Græcorum Imperatoris filiâ in conjugem ductâ victor ex Asia in Austriam rediisset, Annô 1144. votò se obstrinxit Monasterium extruendi, in quo devoti DEO servi laudes divinas occinerent perpetuò. Placuit Henrico præ certis Scotos, Hibernosque Divi Patriarchæ Benedicti Monachos diligere, utpote quos laudabilis morum simplicitas, pietas singularis, vitæque sanctimonia commendarāt: his igitur tum exilibus, tum in terram sanctam peregrinis in hospitium, sibi vero, posterisque è Serenissima Familia decedentibus monumentum, Asceterium, quod hodie ad Scotos appellamus, fundavit, dotavitque toto eo locorum ambitu, qui

A

à

à prædio seu curia Ducali ( locum hunc mo-  
 dò Domus Professorum S. J. occupat ) in-  
 tra fossam oppidalem , ut litteræ fundatio-  
 nis innuunt , Danubium , rivulum Als , ad  
 S. Joannis usque in Alspach , & pagum Als  
 clauditur , Parochiali administratione cu-  
 rando ; litteris solemnibus in rem eam An-  
 nō 158. confectis . Nonnisi Sedi Apo-  
 stolicae Asceterium subiectum voluit dele-  
 eto primum in Abbatem Reverendissimo D.  
 Sanctino . Perfecto jam opere , piáque Fun-  
 datoris voluntate , Adriani IV. Pontificis  
 Maximi , Friderici Barbarossæ Romanorum  
 Imperatoris auctoritate firmata , Bohemico  
 è bello redux Henricus pientissimè in Do-  
 mino obiit Annō 1177. qui unà cum Theo-  
 dora Sereniss. conjuge , filiis duobus Leo-  
 poldo , & Henrico , Agnete Filia in Tem-  
 pli veteris medio sepultus honorifice æter-  
 nam liberalitatis suæ , pietatisque memo-  
 riā reliquit . Annua obitūs memoria 13.  
 Januarii etiamnum solemnī apparatu reco-  
 litur , panem ac vinum in pauperes conflu-  
 entes Monasterio liberaliter erogante . De-  
 dicata Ecclesia , ità jubente Fundatore ,  
 honoribus B. cœlorum Reginæ , Virginique  
 DEIparæ , Divi deiu Gregorii Magni Re-  
 gulæ Benedictorum , ac hujus præprimis  
 Conventus Patroni sub Annū 1200. à  
 Wolff

Wolffgero Episcopo Pataviensi. Atque ab  
inde Monachi Benedictini è Scotia oriundi  
Cænobium isthoc coluere , dum annis la-  
bentibus Annō nempe 1418. Thomas II.  
Abbas XXVI. nullo sibi regrediendi jure  
servato suis cum Scottis abscessit ; & quam-  
vis regredi cuperent , negatum id tamen à  
Nicolao V. Rom. Pont. Trienniō à Scoto-  
rum abscessu incolis Benedictinis caruit Mo-  
nasterium , Divina interea obeuntibus , lo-  
cūmque habitantibus P.P. Minoritis ; dum  
demum Annō 1421. Reverendiss. D. Nico-  
laus à Respitz Professus Sublacensis , ac Ce-  
leb. Monasterii Mellicensis hospes primus &  
Germanis Abbas nominaretur , qui industria  
ac curā singulari primævam formam Cæ-  
nobio restituit , oppignorata redemit , ædes  
penè collapsas reparavit , unde non restau-  
rator modò solertissimus , sed Fundator al-  
ter audivit. Nondum Scottis desiderium  
redendi adeò exciderat , ut non Annō  
1434. in Consil. Basileens. iterūmque Annō  
1580. per Lesleum Mariæ Scotiæ Reginæ  
Oratorem à Rudolpho II. eam potestatem  
flagitarent ; Postulante nempe Friderico IV.  
Rom. Imp. Nicolaus Pontifex Maximus Mo-  
nasterium omni Scotorum jure exemit , il-  
lúdque Annō 1434. Passavensi primūm E-  
piscopo , Annō dein 1480. inchoante hu-

jate Episcopatu , Viennensi Episcopo sub-  
jecit. Eo ex tempore in hanc usque æta-  
tem tranquilla Germani possessione Mona-  
sterii fruebantur , temporum tamen injurias  
multiplices , easque maximas identidem  
perpeſſi . Damna ingentia Annō 1480.  
flammarum inclemētia : Annō 1529. Tur-  
cis urbem obsidentibus militum petulantia  
intulit ; qui cūm Cænobium incoluissent ,  
fædè rapinis incubuere ; quodque malo-  
rum caput , codices quāmplurimi manu-  
scripti , iisque pervetusti , cum ceteris an-  
tiquitatis venerandæ monumentis è Biblio-  
theca direpti sunt. Non absimilem cala-  
mitatem Monasterio Annus 1683. attulit ,  
Turcis item Viennam obsidentibus : Sub-  
jecti ignes occulti ( nescio cujusnam scele-  
re ) adeò ædes corriputere , ut in cineres  
penè totæ redigerentur ; è quibus tamen  
vindicata feliciter à Reverendissimo D. Se-  
bastiano Faber in vicem Reverendiss. D. Jo-  
annis Schmidisberger , tam atroci Mona-  
sterii calamitate morbo , ac morte mox  
etiam prostrati , suffecto. Singulari dignus  
memoria Sebastianus , qui non ædibus mo-  
dò splendorem , sed & severiorum scien-  
tiarum usum , laudemque suis conciliabat ;  
sacræ item exedræ Divini Verbi præco-  
nes suo è Conventu præfecit ; adjuncta

Sco-

Scotensi Felckensis in Hungaria Abbatia ;  
pagus denique Praetorium cum Templo, &  
castro adjecto è fundamentis erectus. Se-  
bastianum I. Sebastianus alter Annò 1703.  
secutus ; Pius Abbas ab August. Leopol-  
do I. dictus , à suis ob mansuetudinem sin-  
gularem ut Pater amantissimus dilectus ; per  
vitam omnem , quam inter D. Benediti  
asseclas exegit, fratrum omnino læsiſſe ne-  
minem raro encomio vir mansuetissimus per-  
hibetur. Præmaturā morte direptus ma-  
gnū sui desiderium reliquit Annò 1705.  
tam spectatæ virtutis ex asse hæres Annò  
codem, mense Majo , auspiciatō suorum suf-  
fragijs delectus in Abbatem Reverendissi-  
mus , Perillustr. ac Amplis. D. Carolus Fe-  
zer; Parochus is quondam in Domo pau-  
perum , à concionibus dein , & secretis,  
præclarā utrobique cum virtutis , ac pru-  
dentiæ laude versatus ; ipso ascendentis  
Domini festo mitrā , pedoque est decora-  
tus. Abstinere laudibus viri nos jubet mo-  
destia , neque indiget alienis , sua à virtu-  
te , laudūmque meritis commendatus uber-  
rimè ; posteris magis integrum id erit à  
metu lædendæ modestiæ remotis. Neque  
tamen prætereunda , quæ luce publica ge-  
gerebantur. Relictum sibi Monasterium ære  
alieno grave maximoperè liberavit felicissi-

mè; litteris incrementum, ornamenta Ecclesiae à pretio, nitoréque spectata comparavit. Quodque amplius mireris, nihil temporum injuriæ oberant, quin Monachorum numerum augeret adeò, nullo ut' ante tempore tot incolis religiosis floruerit Monasterium. Amplissimum meritorum testimoniū tulit, dum Incliti Status Austriae Infer. Provinciæ eum Deputatum, Oeconomum dein perpetuum delegere; August. ipse, ac Invict. Imp. Carolus VI. cruce pretiosâ, August. verò Imper. Elisabetha annulô gemmis ornatô, Cæsareâ munificentiâ, donâssent. Unum id expetendum, ut ad amplius Celeb. Monasterii decus, & incrementum longavam Superi indulgeant incolumentem. Gubernarunt Cænobium haecenus Reverendissimi Abbates omnino sex, & quinquaginta, è quibus, cæterisque quam plurimi insigni claruere virtute, doctrinâ, dignitatum Ecclesiasticarum fulgore. Accensendi Nicolao Respitz Abbatii XXVII. primo Monasterii instauratori: Reverendissimi D.D. Benedictus Chelydonicus Orator, Theologus egregius, Maximiliani Rom. Imp. Poëta, & Historicus, Abbas XLI. Martinus plurium per Austriae, Salisb. Styr. Monasteriorum Visitator, Annô 1452. Joannes V. sacrarum paginarum in Academia Viennensi Professor, Cænobia præf.

fectus Annō 1467. Donaldus Archi Gym-  
 nasi Viennensis Annō 1383. à Scholarum  
 origine Rector VII. Abbas XXI. Georgius  
 Mörth Cæsareus belli Commissarius Abbas  
 L. R. D. Heisler magnæ sanctimoniaæ fama  
 clarus; Reverendissimi, Illustrissimi D. D.  
 Augustinus Pittrich, Episcopus Germanen-  
 sis, Suffr. Vien. & Neostad. Abbas XLVII.  
 Joannes Walterfinger, Suffr. Vien. Abbas  
 XLVIII. Joannes Schmidsberger, Episcop.  
 Helenop. Suffrag. Vien. Abbas LIII. Cete-  
 rū uti tum Conventus Scotensis, cùm Ec-  
 clesia, Beatissimæ Virginis honoribus est di-  
 catus, ita in ea colenda est studiosissimus;  
 ac præcipue per vetustam quæpiam, pro-  
 digiosamque DEI paræ imaginem singulari  
 religione venerantur; hæc Annō 1645. so-  
 lemni supplicatione, comitante August. Im-  
 per. Ferdinando III. ad D. Stephanum trans-  
 ferebatur, cùm Viennæ teterima quæque  
 Sueci minarentur; octiduo venerationi pu-  
 blicæ exposita erat imago, quod inter adeo  
 frati Suecorum animi, ut urbibus, oppi-  
 disque desertis suas se in sedes reciperet  
 hostis infestissimus. Sodalites præterea  
 binæ sub D. Virginis patrocinio, Immacu-  
 latæ una, Dolorosæ altera magno Soda-  
 lium numero institutæ; D. item Sebastiani;  
 S. Patriarchæ demum Benedicti saluberrimis

legibus condita, quibus obstringuntur Sodales hominis novissima, Dominique patientis agonem contemplari crebrius, ut ritè mori addiscerent, dum pro sua curandæ salutis alienæ solitudine solertissimi D. Benedicti filii ad vitam erudiunt ritè exigen-dam.

### Asceterium Sanctimonialium ad S. Laurentium.

**A**sceterium templūmque D. Laurentii honoribus dicatum Duces Austriaci Otto primus, mirabilis, cum germano Friderico, considerunt, in cōque DEO dicatas Virgines collocarunt Anno 1337. incertum cuiusnam instituti; firmavit piorum Fratrum voluntatem suā Dux item Austriæ Rudolphus auctoritate Annō 1350. Ne scio, quo fato deficientibus incolis, earum in vicem successere Canonissæ D. Augustini Regulam secutæ; coluere cæ antea cœnobium Urbi vicinum propè sylvam modo Pratter dictam pauperis ferè census; vix ampliorem ad D. Laurentium deprehendere, dum nova tandem bonorum accessione augerentur. Solymano Annō 1529. Vien-nam obsidente eversa ceteris cum suburbiiis duo Virginum sacrarum cœnobia ad D. Ni-

CQ-

colam unum, alterum ad D. Magdalenam dictum Scotensi portæ vicinum, indicium loci columna facit, cui D. Magdalenæ signum insitit. Fugatæ suis sedibus Magdalenianæ Virgines asylum ad D. Laurentium quæsiverunt; receptæ ibidem se, suos unâ annuos proventus addixerunt; mutua mox charitate unum in cænobium utræque coaliere, impetrato dein in rem eam Ferdinandi II. consensu à Joanne Fabro Urbis Episcopo; nequa deinceps id vinculum ratione solveretur, ea tum lege tenebantur, ut quæ Laurentianis antea præerat, præcesset omnibus; qua defunctâ plena fieret potestas omni è cætu quampliam diligendi. Auctus Virginum numerus ædes ampliores postulabat; Annô igitur 1630. Polixena nata comes de Muschinger loci antistes cænobium commodius ampliusque auspicatur. Gubernante demum Augustina nata comite de Traun piorum beneficentiâ, tum Virginum idem vitæ institutum amplexarum donis eam in amplitudinem proiectum, ut 52. habitationi commoda hodiecum deserviat. Ne quam obeundæ pietatis occasionem invidenter externis, sua & inter claustra peregrinantur; habent & domi suæ Cellas Marianas, sepulchrum Domini, Lau retanam domum, quæ loca sacra etsi spa-

tiō temporis brevissimō, amplissima tamen  
 pietate obeunt. Occupantur potissimum  
 decantandis DEO laudibus, quibus labores  
 interdum muliebres interponunt, eōsque  
 & ab arte elegantes, & fovendae pietati op-  
 portunos; instruendae præterea sui sexus  
 juventuti, alendaeque industriam non vul-  
 garem impendunt, quam nobilissimis qui-  
 busvis ē familiis conflatam cum pietate  
 litterarum notitiam, laborēsque sexui fœ-  
 mineo usitatos edocent. Templum quod  
 spectat, cum asceterio novam quoque for-  
 man induit, turri dempta quadrato lapide  
 constructa; fornix, aræque pervetustæ re-  
 centiorem elegantiorēmque in speciem re-  
 dactæ; spectatur in summa præcipue ara  
 īmago Divi Laurentii Martyrium referens ab  
 artifici pennicillo laudata, illustris pictoris  
 operā, de Harte dicto, elaborata; Taber-  
 naculum item eleganti ē marmore confe-  
 stum. Inter ceteras Divorum exuvias vene-  
 rationi publicæ corpus S. Martyris Restitu-  
 tæ Annō 1646. à Philippo Friderico Vien-  
 nensium Episcopo Romā reduce allatum,  
 donatūmque conventui exponitur. Sta-  
 tuam DEI paræ suo in choro venerantur sel-  
 læ insidentis inter flamas adeò illæsam,  
 ut nonnisi pars stellæ exigua, pedis item  
 Jesuli flammæ vestigium exhibeat. Festa  
 fin-

singulari solemnitate celebrantur: Festum Dedicationis feriâ tertîâ Paschæ, S. Magdalena ob Magdaleniarum Virginum accessionem, D. D. Laurentii, Augustini. Ceterum asceterium loco salubri auræ pervio situm est, domosque adfitas eminens præterfluentem Danubium spectat. Visitatur, dirigiturque à Celsis. Archi-Episcopo Viennensi; à confessionibus sacrisque celebrandis R. R. P. P. Franciscanos habet. Concionatorem Dominicis anni singulis Collegium Academicum Societatis JESU suppeditat; Jejunii vero verni tempore feriâ tertîâ, & quintâ habendis concionibus suo pro arbitrio deligunt quempiam magnâ potissimum populi frequentiâ affluente. Ita non suæ modò virtutis provehendæ studiosæ sunt Virgines, sed ut profint plurimis, quaqua demum ratione emituntur.

Monasterium S. Hieronymi R.  
R. P. P. Minorum S. Francisci  
strictioris Observantiae.

S. Capistrani operâ Ordo hic primum Viennæ Sedem sibi stabilem reperit; missus is Annô 1451. à Nicolao Quinto ad Fridericum III. Romanum Imperatorem, ut exstruendi Monasterii potestatem imperatra.

traret; exceptus ab eodem benevolè Capistranus, senatorum mox etiam animos occupavit. Concessum Monasterium Sororum tertii Ordinis S. Francisci de Pötentia ad S. Theobaldum extra mænia possum; Amplum adeò eo in loco surrexit Monasterium, ut ducentos etiam religiosorum caperet commodè, delecto in Cœnobii Patronum D. Bernardino. Sanctimoniales verò intra urbem receptæ sunt servato jure omni, bonorūmque suorum possessione. Tranquilla omnia, felicitérque magno cum animorum emolumento ad annum usque 1529. progrediebantur, dum demùm Imperante Ferdinando I. ingruente Turcarum exercitu ceteris cum suburbiiis ipsum etiam D. Bernardini Monasterium funditus everteretur. Servati Religiosi incolæ paternâ Ferdinandi providentia; Sacellum D. Ruperti intra urbem cum adsitis quibusdam domunculis in vicem datum, dum accommoda magis habitatio exquireretur. Arcto admodùm spatio teste ipso Ferdinando P. P. fervor constrangi non poterat; quo persuasus Augustus Imperator Annô 1545. ad ampliandum DEI cultum locum etiam ampliorem, opportunioremque obcundis Divinis laudibus, charitatisque obsequiis, ad D. nempe Nicolaum

laum designavit. Aucta verò indies reli-  
giosa familia, & is locus angustus esse cæ-  
perat ; de ampliore clementissimè prospe-  
xit Serenissimus Archidux Ernestus Annô  
1589. Destitutum incolis Monasterium D.  
Hieronymi à Conrado Hälzer consule Vien-  
nensi olim Monialibus S. Magdalenaे ere-  
ctum ; huc igitur Ernesti benevolentia, Se-  
natū loci fundatore assentiente, translati  
sunt. Primi incoluere Adm. R. P. Valen-  
tinus Fricius Provinciæ Præses, R.P. Michaël  
Mayr vices Guardiani gerens, Dominicus  
Huss Concionator cum septendecim diver-  
si Ordinis Sociis. Temporum injuriâ,  
flammis , veritate ipsa affectum pessimè  
Monasterium collapsurum erat haud dubiè,  
nisi beneficos nactus Vieienses R.P. Gabriël  
Bonaventura Daumius Commiss. gen. quo-  
rum sumptibus collatis non instaurari mo-  
dò, sed & ampliari poterat ; Templi tur-  
rim, Monasterium is eam in formam An-  
nô 1614. redegit , quam hodiecum vide-  
mus. Varii erant, quorum id liberalita-  
te perfectum est ; præ cæteris Anna ex anti-  
quissimâ familiâ de Hol L. B. de Meggau ;  
Christophorus Roswar Campi- Maresch.  
opitulabantur. Insignem quoque pro sua  
in Religiosorum cætus benevolentia Augus-  
Ferdinandus II. contulit munificentiam ;

ut

ut spatiū amplius struendo Monasterio adjungeret, domum Krembergianam comparavit, in platea Weichpurgensi sitam, eāmque cum aula Campilienium Monasterio contigua, annuente Abbe Ignatio, permutavit. Conversa hæc illicò in Monasterii partem, prærogativis tamen omnibus in Krembergianam domum, nunc au lam Campilienium translatis. Perfectam primùm undequaque Ecclesiam ritu solenni Anno 1611. Celsiss. Princeps S. R. E. Cardinalis Francis. à Dietrichstein consecravit, DEOque T. O. M. ac D. honoribus dicavit. Translata etiam B. V. imago, quæ Annō 1607. veteri in templo fidelium cultui exposita. Tametsi prodigiosa hujus imaginis origo, gratiæque vulgaris libelli pluribus referantur, prima tamen capita etiamnum placuit recensere. A furentibus in Divorum imagines per Bohemiam Hussitis, cum ceteris plurimis flammis absūmenda committebatur; verū redactis in cineres reliquis hæc una inter flamas perstit illæta; non mitigatus Hussitarum furor tam insolenti prodigio, altera item ac tertia etiam vice flammis dictata, tametsi ferreis perticis inter eas detineretur, nihilum violata ingenti cum frangore resiliit. Cùm ignes nihilum proficerent,

rent, securis admota est, qua in frusta  
solveretur. Non tulit audaciam DElpara,  
exanimis illicò concidit, qui nefas aude-  
bat; dementia eos corripuit perpetua, quo-  
rum aut imperio, aut conniventia perpe-  
trata Sacrilegia. Utī poenam nefarii, ita  
reverentiæ præmium tulit Ladislaus de  
Sternberg. Cum adversus Turcam sub  
Rudolpho II. Annō 1603. in Hungaria pu-  
gnaret; fusa duodecim à se hostium millia  
imaginis hujus, quam secum deportabat,  
præfidiō prædicabat; verū ubi relata mox  
victoria cum auro omni lusu deperdito  
reverentiam quoque exuit, aurique in lo-  
cum pignus hoc omni pretio superius, cum  
solvendo non esset, substituit, poenam Bo-  
hemicis in carceribus, dum viveret, ex-  
solvit; delata Viennam Imago sacræ ad D.  
Hieronymum familie custodienda tradi-  
ditur, sub Annum 1607. ibidemque in  
hanc usque diem gratiis impetratis & pro-  
digii claret; ut conspicua magis Marianis  
Clientibus redderetur, Anno 1706. sum-  
mam in aram, tum recens instructam, li-  
beralitate beneficorum, atque operā Andreæ  
Pozzo S. J. est collocata; commune  
quavis in calamitate perfugium habetur:  
grassante Annō 1679. lue pestifera solenni  
Supplicatione in forum aula dictum deporta-  
batur,

batur , summâ comprecantium adversùs  
 gratiarum Matrem fiduciâ ; tantum valuit  
 publica hæc veneratio , ut ea ipsa à die  
 imminueretur morientium numerus non pa-  
 rûm ; in animi grati memoriam Dominicâ  
 quintâ post Pascha solenni item supplica-  
 tione quot Annis defertur. Alterum aræ  
 summæ ornamentum à Sanctorum Benigni,  
 & Hilariæ corporibus accedit. Habet non  
 pauca præterea singulare digna memoriâ  
 Ecclesia D. Hieronymi , aram nempè D.  
 Petro de Alcantara dicatam Leopoldi Magni  
 & Margarithæ interventu privilegiô perpe-  
 tuò Romano à Pontifice decoratam. Pre-  
 tium aræ Bono Pastori JESU , MARIÆ ,  
 & JOSEPHO sacræ vix alia per urbem æ-  
 quat , prærogativis iisdem cum Ecclesia  
 Romana S. Joannis in Laterano gaudet ,  
 cui adscripta est Annô 1670. Reverendissi-  
 mo Episcopo Garzia , id per Cæsarem  
 Augustum à Romano Pontifice impetrante ,  
 condita Anno eodem Sodalitas sub Patro-  
 cino JESU , MARIÆ , & JOSEPHI ; So-  
 dalitas altera Immaculatæ Virginis Archi-  
 Confraternitas à Paulo V. renunciata.  
 Utraque ultima mensis cujusvis Dominica  
 ad augendam Sodalium pietatem adhorta-  
 tionis piæ supplicationem adjungit ; remo-  
 tiora etiam in loca Cellas nempè Marianas  
 Sty-

Styrorum, Mariam (in der Häudt di-  
Etam) in Hungaria, Hiezing, & Lanzen-  
dorff Annis singulis frequentiâ & pietate  
singulari procedunt. Secundâ verò men-  
sis Dominicâ tertii Ordinis S. Francisci  
Fratres, Sororesque congregantur, quos  
inter primæ etiam nobilitatis non pauci.  
Confirmata novissimè via Crucis à Benedi-  
cto XIII., cuius stationes tertiâ mensis Do-  
minicâ, verni verò jejunii tempore sextâ  
quavis feriâ, qui obeunt, pietatis suæ  
premium referunt gratias eas, quas viam  
Christi Sanguine sacram Jerosolymis ob-  
eundo lucrifacerent. Decus longè maxi-  
mum à Viris de sacro Ordine suo, de ex-  
teris optimè meritis accedit. Vetamur  
recentiora commemorare; illa innuimus,  
quæ sæculis superioribus agebantur. Annô  
1453. Wenceslaus L. B. de Wolffstein  
aulæ, ac mundo omni nuntium remisit,  
Sacrûmque D. Francisci institutum ample-  
xus pluribus audendi patia exemplo fuit.  
R. P. Gabriël de Verona ob virtutem spe-  
ciam agendique dexteritatem Mathiæ  
Regi in delitiis, Hussitarum impugnator  
acerrimus, legationibus quin etiam cum  
laude perfunditus, Episcopus primùm Al-  
banensis, Romam dein evocatus sacrâ pur-  
purâ à Sixto IV. Anno 1478. est ornatus.

B

R. P.

R. P. Medardus van Kirchen Græci, He-  
braïque idiomatis apprimè gnarus Regi  
Ferdinando sacris à concionibus non unam  
à Luthericolis palmam retulit ; Magnæ  
Sanctimoniæ famâ celebris Anno 1533.  
pietissimè decessit. R. P. Thomas Salis-  
burgensis Provinciæ Austriacæ Præses, stre-  
nuus adversus Lutheri asseclas fidei Propu-  
gnator, bis hac in arena vulneratus gra-  
vissimè ab hæreticis, venenô demum etiam  
necatus fuit Annô 1548. R. P. Theobal-  
dus, cum F. Zachæo Laico odiō Christia-  
ni nominis à Turcis trucidatus. Obiit  
Anno 1620. R. P. Tobias Hendschelus  
Austriæ Provincialis, vir à doctrina cele-  
berrimus, S. S. Theologiæ in Universitate  
Viennensi Professor ; Annô 1624. R. P.  
Bernardinus Araoldi Commissarius gene-  
ralis ac August. Imperat. Mathiæ & Annæ  
à Confessionibus ; Carolus Weinperger  
ex Ephæbo Augusti Ferdinandi II. Fran-  
ciscanus, ac Concionator Apostolicus, ex  
eoque Episcopus Nanianzenus Annô  
1628. Nec sæculum ullum sua ab origine  
Monasterium numerat, quo non virtute,  
doctrinæ, dignitatibusque Ecclesiasticis  
conspicuos, vitæ ac sanguinis ad asseren-  
dam fidei veritatem prodigos aluisset ;  
Testimonium publicum Annô 1628. ab  
uni-

universo Senatu Viennensi tulit Ordo Seraphicus, Solerti, sedulaque Charitate fructus uberrimos in heterodoxis potissimum ad Ecclesiæ gremium revocandis R. P. Elzearium Rugl, Provincialem, cæterosque sui instituti zelotes procurasse. Dum Annō 1679. lues Viennam corripuiisset, malo laborantibus operam Monasterium D. Hietonymi prorsus singularem impendit; triginta, & amplius hominum millia extremis morientium præsidiis munire Seraphici operari, parum quin iis erat, opem omnem operamque tulisse, vitam ipsam RR. PP. Honorius Scharpius, Stanislaus Heluctus cum Fratre Hugone Stingelio impenderent, non nomine modò, sed opera in procuranda salute aliena charitate Seraphici.

## Monasterium R.R. P.P. Minorum Conventualium ad S.Crucem.

**L**eopoldus Dux Austriæ cognomento Gloriosus confecta expeditione sacra è Palestina cùm Italianam transiret, famâ Sanctissimi Ordinis, ac Sanctitatis cum primis D. Francisci ejusdem conditoris permotus socios quosdam expedit lecum Viennam

abducendos An. 1224. erant ii R.R.P.P. Joannes de Piano, Albertus Pisanus, Martinus de Mediolano, Jacobus de Tarvisio. Monasterium tum quidem cum Ecclesia exigua extra urbem situm Leopoldus attribuit, ampliatâ verò Viennâ intra mænia receptum. Mirum quantum exigua ferè intervallô famâ, Viennenium benevolentia, idem vitæ institutum expetentium numerô augebatur. De ampliori proinde Ecclesia, ac Monasterio cogitatum. Primum ejus lapidem in S. Crucis venerationem Ottocarus Rex Bohemiæ posuit, eratque cæptum opus ad coronidem perducturus, nisi morte esset præventus. Perfecta structuræ pars maxima Blancæ Philippi III. Regis Galliæ Filiæ Rudolphi III. Archi-Ducis Austriæ conjugis beneficiō, eamque in amplitudinem surrexit, ut unam D. Stephani Basiliacam magnitudine, firmitate se haberet superiorem; Ut memoria beneficij extaret perpetua, cor Ottocarus Annô 1278. Blanca se penè integrum in Ecclesia S. Crucis sepeliri voluit. Conventum Ecclesiæ parrem tribus primis sæculis Viri Religiosi incoluere 150. Temporum injuriis multum post ea amplitudo est immutata, cebrioribus primùm bellorum tumultibus. Friderico II, Imperatore Viennæ obsidente calamit-

lamitates non leves insolenti à milite Con-  
ventus perpeſſus. Sævitum in ædes ipsas  
Annō 1683. à Turcis ; truncata turris Ec-  
clesiæ ; cæteraque rei familiaris dispendia  
cum civibus P.P. communia habuere. Plus  
hærefis Lutheranæ lues , quām bella no-  
cuere ; direpta archivia , fundationum in-  
ſtrumenta ; Pars magna Monasterii Prædi-  
canti ciuiam Nauffero habitanda dabatur ;  
ipſo etiam Ecclesiæ uſu , ſi D. Catharinae  
Sacellum ac Chorum demas , deſtituti par-  
tem reliquam hæreticorum exercitio coge-  
bantur permettere Annō potiſſimū 1569.  
Respirarunt aliquantūm P.P. ſub Annum  
1620. Ferdinandi II. pietate ; pulsi hæreti-  
corum ministri , reſtituta pleno uſui Eccle-  
ſia , res familiaris , quanquam non omnis ,  
recepta. Cum Religionis incremento au-  
cta piorum munificentia ; ſtipendia , reddi-  
tus addicti ; formam etiam in meliorem  
ædes redactæ ; præcipue ILLUSTRISSIMORUM  
Comitum à Dietrichſtein , ac Excellent.  
Comitis Rudolphi à Puechaim beneficiō.  
Eò jam res progreſſa , ut numerus etiam  
Religiosorum augeri potuerit , qui furente  
hærefi ad quintum ferè delapsus. Has in-  
ter calamitates , rerūmque vices laudem vir-  
tutis integerrimam conservarunt ; neque  
deerant , quos ad primas Ecclesiæ dignita-  
tes

tes ea provexit , aut certè fecit dignissimos :  
 Reverendissimus P. Wolfgangus Pichler ,  
 postquam decenniâ rexisset Provinciam ,  
 Annô 1469. Hiponensis Episcopus est crea-  
 tus . Reverendissimus P. Theodoricus Kra-  
 mer Provinciam unâ & Neostadiensem Ec-  
 clesiam Annô 1505. Episcopus administra-  
 vit . Inter recentiorum temporum Viros  
 Illustres singulari dignus memoriâ R. P. M.  
 Arnoldus Pirckman , Ferdinando II. à con-  
 siliis , qui morum comitate , vitaque sancti-  
 moniâ Magnatum complures hæresi eripuit ;  
 quos inter Princeps Gundakarus à Liech-  
 tenstein , Wilhelmus Comes à Starenberg ;  
 R. P. M. Henricus Dens , Ferdinando II. item  
 à consiliis , Vice-Protector Collegii Fer-  
 dinandæ Pragæ ; R.R. P.P. M.M. Corne-  
 lius Ottweiller , Ambrosius Herl , Ambro-  
 sius Fornator doctrinæ singularis laude ,  
 suosque administrandi dexteritate clarue-  
 runt ; restitutô Conventûs nitore , suus  
 etiam Templo rediit ; Aræ Divorum hono-  
 ribus consecratæ , curata supellex sacra ; &  
 quidquid à furenti hæresi detrimenti cœpe-  
 rat anteâ , resarcituni uberioris ; Annô de-  
 numer 1700. præter ornamenta plurima in-  
 stratum pavimentô marmoreo . Ornatum cum-  
 primis , fideliūmque venerationem provo-  
 cat prodigiosa Christi Crucifixi effigies ;

ad-

adversō olim Danubio devenīta prope domum, ad agnum aureum dictam, constitit, firma adeò, ut avelli posset à nemine, dum tandem supplicantium ritu Clerus omnis, ac Religiosorum cætus procedentes crucem levassent Delata primū solenni apparatu ad D. Stephani Basilicam; postera verò nocte vi cælicā sublata in Ecclesia S. Crucis eo in loco reperta est, quo hodiecum magnā accurrentium fiduciā, pietatēque colitur; insertæ eidem sacræ Reliquiæ, S. Crucis particula, lanceæ, corona spinea, Araonis Virgæ, ut thesauri loco omnino haberi possit. Ornamentum alterum Scala sancta in formam Romanæ magnis sumptibus Excell. D. Margaretha à Stratman natæ Comitis ab Abendsperg, & Traun exstructa conciliat. Sodalites S. Francisci, S. Antonii de Padua magnō Sodalium numerō, ac solatiō erectæ; S item Crucis, ad cuius aram pro viventibus, ac vitâ functis Missæ Sacrificium celebratur indies. Minores præster Sanctorum reliquias corpus integrum S. cuiusdam Martyris Innocenti habetur. Tragicum quid hiatus muri indicat; septies die eodem S. Eucharistiā, ceu profanum quid sumeret, audacissimus quispiam vescebatur; extinctus illicò, aut præfocatus; nocte postera malus dæmon cadaver eruit,

excusisque sacris Hostiis diffracto fornice  
in auras abripuit sacrilegum. Cæterum  
quantis in amoribus hic Ordo Celeberrimus  
semper fuerit Viennensisbus argendum in-  
de relinquimus; quod primis honorum titu-  
lis nobilissimi quique inseruere, aut præ cæ-  
teris ducebant honorificum: Nobiles Fra-  
tres Minorum. Referre esset longissimum  
singulos præcipuis è familiis, qui sepelien-  
dos se in S. Crucis Ecclesia voluere. Eos  
solùm recensemus, qui supremas orbis di-  
gnitates aliquando sustinueré: Cor Otto-  
cari Bohemorum Regis, uti memoratum  
superius; Blanca Archi Dux Rudolfi III.  
Archiducis conjux; Elisabetha Romano-  
rum Regina, Friderici Regis consors Annô  
1330. sepulchrō magnificō è marmore por-  
phyretico condita; Serenissimus Albertus E-  
pisopus Ratisbonensis, ex Augusta Au-  
striacorum Domo; Margarita Marchio.  
Maultaschen Comitatus Tyrolensis hæres  
Annô 1369. Depositum item corpus Sere-  
nissimi Caroli Ducis Lotharingiae Archi-  
Episcopi Trevirensis, Episcopi Osnabrugens-  
sis, S. R. I. Electoris, celebratæ ibidem in-  
feriæ, dum Augustis Austriacorum exuviis  
apud R. R. P. Capucinos apponeretur.  
Quintum jam sæculum felicibus auspiciis  
emensum est S. Crucis Monasterium, appa-  
ratu

ratu magnifico tum ab arte , tum ingenio ,  
cùm universa Austriae Minorum Conven-  
tualium Provincia annum à fundatione quin-  
gentesimum abibant . Ut non tam spectan-  
tium plausus , quām pietatem provocarent ,  
imperatæ à Sanctissimo Benedic̄to XIII .  
plenæ peccatorum indulgentia . Laudem  
veterem in annos plurimos esse traducen-  
dam non est cur ambigamus .

### **Asceterium Sanctimonialium ad Portam Cœli dictum.**

**G**Erhardum Passaviensis Ecclesiæ Cano-  
nicum , quintūmque Viennensem  
Parochum sui fundatorem memorat ascete-  
rium sanctimonialium ad Portam Cœli  
dictum . Domum is suam Virginibus ali-  
quot ( Dominæ reclusæ dicebantur ) nul-  
lius quidem tum certi instituti , pietatis ta-  
men sòvendæ causâ congregatis dedit ; Anno  
1267. eam in rem consensu Bertholdi Pas-  
saviensis Episcopi , Leopoldi , & Friderici  
Austriacorum impetrato . Ut firmiores Di-  
vino in obsequio persisterent Virgines ,  
Divi Augustini regulam eas amplecti vo-  
luit , atque à Præmonstratensibus guberna-  
ri , quorum & vivendi rationem amplexas  
credimus . Adiecta Domui Ecclesia ; An-

nodemum 1331. Dominicâ Assumptam Virginem præcedente sub S. S. Agnetis, & Catharinæ Patrocinio solemnî ritu dedicata à Dieterico Dyonisiensis Ecclesiæ Episcopo. Igne pôst, bellisque injurîs fatigcentem Ecclesiam una cum Monasterio Agnes Austriaca Alberti I. Archi Ducis, & Ehitabethæ filia Andreæ Hungariæ Regis conjux novam è fundamentis concitavit, redditibusque auxit, ut secunda loci fundatrix dicti mereatur; Hungaris potissimum à Virginibus abinde colebatur, quas postmodum Annô 1491. ad Annum 1586. auctoritate Innocentii Pontificis Max. Ordinarii Viennenses gubernârunt Præmonstraten-sium potestati penitus exemptas. Alterâ jam vice extinctum asceterium credi poterat; senviente urbe totâ lue pestiferâ ad unam usque interiâre, quæ ne malo eodem corriperetur, in Patriam remeavit. Aedes religiosis incolis destitutas annis pluribus Ernestus Archi-Dux, Casparus Viennensis Episcopus respexerunt; utque laudes Divinæ denuo decantarentur, iussa Dorothaea de Buechaimb Anno 1586 asceterii ad D. Jacobum tum Antistes sacras ad Cœli Portam colonias ducere, Divinâque curare. Labente Annô 1603 postulante Mathia Archi-Duce Paulus V. summus Pontifex non Prämon-

monstratenium modò, sed & Jacobinaram potestate eas exemit. Demandata Provincia Francisco Cardinali & Episcopo Olomucensi, nato de Dietrichstein, cuius dexteritati ea innovatio permittebatur; verùm morbo præpeditus Abbates Austriæ S. Benedicti subrogat, qui pro potestate rem omnem transigerent, atque adversus obnientes tuerentur. Sex non amplius è colonis Jacobinis eam post rerum innovacionem Cœli Portam incoluere, primaque præesse jussa pietate, prudentiaque Illustris Barbara Pauhofferin; ut sedulæ antistitis partes expleret, ædes novas moliebatur, dum veteres vitium facerent, intervallò benè longò nemine sarta recta curante. Multas in sumptus excitandis ædibus necessarios Mathias Archi-Dux Annò 1607. convertit, Klesselius demum Cardinalis, idémque Viennensis Episcopus beneficentiâ singulari ad coronidem perduxit Annò 1616. Parentem eo in Cardinali sacræ Virgines venerabantur, qui præterquam, quod rem familiarem ampliarit egregiè, sacros etiam Thesauros adjunxit, costam scilicet D. Agnetis V. M. cum ejusdem capillis, ossa præterea plurium ex societate D. Ursulæ; Crucifixi denique Servatoris imaginem, quo charius aliud non habebat, prodigiis illu-

strem,

strem, cui vitam ipse suam gravissimō morbo liberatus acceptam retulit. Beneficiō verò Philippi Friderici de Breüner Episcopi Viennensis Corpus sancti Valentini, Cine-  
 nes item S. Bonifacii, caput S. Lucii Martyris obvenit. Alterum etiam Crucifixi signum suo in choro repositum venerantur Virgines; incertum undenam eo loci de-  
 venerit; vetustissimum certè forma prodit:  
 pietatem singularem & munificentiam in id Augustæ Eleonoræ veneratio, prodigio-  
 rūmque fama conciliavit, quæ sacræ cui-  
 dam Virgini locutum fuisse prodidit. Ma-  
 trem familias in signo quodam DEIparæ na-  
 ñæ sunt Virgines; repertum id conflagran-  
 te cœnobio medias inter flamas nihil om-  
 nino violatum; singulari abinde religione coli cœptum, atque in Domus facello  
 (quod templum aliquando erat cœnobii) domesticorum venerationi expositum. Ser-  
 vatas se hoc præsidio gratulantur Virgines pestifera à lue tota urbe Annô 1679. gra-  
 sante, à qua innoxiae evasere omnino om-  
 nes. In animi grati memoriam Anna Jaco-  
 bina nata Comes de Questenberg loci an-  
 tistes potestatem impetravit à Francisco Ar-  
 chi-Episcopo Thessalonicensi, tum Nuntio Apostolico, octiduō annis singulis majo-  
 rem in Ecclesiam imaginem transferendi,  
 exte-

exterorum etiam pietate colendam; decre-  
tum octiduum assumptionem B. V. præce-  
dens; confluentium omni ex ordine fre-  
quentia, suspensa de tholo anathemata te-  
stantur uberrimè beneficia à clientibus Ma-  
rianis plurima esse impetrata. Habent &  
alia pietatis fomenta domi suæ sacræ Vir-  
gines collecta, quæ per urbem sparsim re-  
periuntur, nascentis morientisque servato-  
ris monumenta, specum Bethleemiticam  
nempe, uti & sepulchrum Domini Questen-  
bergianæ item industriâ constructum ad re-  
rum prorsus naturam; Breüneriana verò  
Montem Oliveti, scalam sacram ab insertis  
Sanctorum reliquiis, indulgentiisque cele-  
bratam. Quibus munitum præsidiis ascete-  
rium, insigni pietate præprimis incolarum,  
perstiturum incolume deinceps haud vanè  
auguramur, precamurque,

## Monasterium R.R.P.P. Eremi- tarum Discalceatorum, Ordinis S. P. Augustini

**S**inistra belli alea Friderico Pulchro Ro-  
manorum Regi construendi Monasterii  
hujus occasionem præbuit; victus is, cap-  
tusque à Ludovico Bavarо voti se religione  
obstrinxit, obtenta libertate Ecclesiam Di-

vo Augustino sacram prope aulam suam  
 Viennensem ædificandi. Voti jam reus  
 Annō 1327. suis, Fratrūmque duorum Al-  
 bertī, & Ottōnis sumptibus non Ecclesiam  
 modò, sed & Monasterium moliebatur,  
 morte verò præmatura dirēptus, perfectum  
 nondum opus Ottōni natu minori curan-  
 dum reliquit, qui novem demūm annorum  
 spatiō supremam fratris voluntatem com-  
 plevit. Non Fridericum solummodò, ut  
 quibusdam videtur, sed & Ottōnem ac Al-  
 bertum Ecclesiæ fundatorem diploma pro-  
 dit, trium æquè Fratrum insignibus munis-  
 tum. Dicata Ecclesia D. Augustini honori-  
 bus Annō 1349. ab Ortolpho Apominen-  
 si Episcopo Godefridi Passaviensis Episcopi,  
 eoque tempore Viennensis ordinarii vices  
 gerente; hanc demūm cum Monasterio  
 Cæsar Augustus Ferdinandus II. Annō 1630.  
 R. R. P. P. Eremitis Discalceatis Ordinis S.  
 P. Augustini clementissimè deinceps colen-  
 dam dedit. Aram summam Ferdinandus III.  
 priusquam in Romanorum Regem deligere-  
 tur, pro singulari, qua in Divum Augustinum  
 ferebatur pietate, Annō 1635. ornavit, in  
 cuius Icone expressæ eorum effigies con-  
 spiciuntur, qui Regulam Divi Augustini fue-  
 tant amplexi. Sacellum defunctorum una  
 cum majori Ecclesia conditum, quin attis-  
 octo

octo ante consecratum, liberalitate potissimum Equitum S. Georgii, ac præprimis Ottonis memorati, unde communie exinde nomine Capella S. Georgii de Templois dicebatur, sodalitate quapiam equitum S. Georgii in ea instituta, cui primus Otto ipse cum Filiis Alberto, & Leopoldo, plurimi postmodum Principum, primæque nobilitatis nomen dedit. Oblivioni penè temporum lapsu traditam sodalitatem alieno sub nomine, fidelium neunte defunctorum, Ferdinandus II. e jussioneque conjux pientissima Eleonora ab Urbano VIII. Pontifice maximo restituendam impetravit; Romanæ Urbanus eam adscriptit, magnisque prærogatis donavit. Feriâ inibi secundâ S. S. Eucharistia ante, ac post meridiem singulari religione adoratur. Sacellum alterum D. Virginie Lauretanæ Eleonora Mantuana Augusta Ferdinandi II. conjux Annô 1627. conditura tres artis ædilis peritissimos in Italiam ablegavit, qui omnes apices Lauretanæ ædis explorarent, ad eamque Normam Viennense construerent facellum; Mox ut perfectum fuerat, Emin Cardinalis Franciscus Princeps de Dietrichstein Episcopus Olomucensis consecravit; Icon vero D. Virginie Lauretanæ simillima tribus post mensibus eodem ab Eminentissimo

Prin-

Principe benedicta cultui publico exponebatur. Adeò in amoribus deinceps ædes hæ fuerant, ut in monumentum pientissimorum cordium transirent, Annō 1654. Ferdinandi IV. Romanorum Regis; Annō 1662. Serenissimi Archi-Ducis Leopoldi, Guilielmi Episcopi Olom. Passav. Argentorat. Filii Ferdinandi II. Annō 1673. Augustæ Imperatricis, Margaritæ Hispan. Infantis Philippi IV. Regis Filiæ, primæ Leopoldi I. conjugis, 1686. Augustæ Imperatricis Eleonoræ Mantuanæ. Annō 1692. Serenissimæ Mariæ Antoniæ Electricis Bavariæ Archi-Ducis Austriæ. Annō 1696. Serenissimæ Mariæ Theresiæ, Annō 1703. Serenissimæ Mariæ Josephæ Austriæ Archi-Ducum, Angustorum denique Cæsarum Leopoldi I. Annō 1705. & Josephi Annō 1711. Corda vasif argenteis conclusa in Lauretana hac æde quiescunt. Non funebria modò, sed & nuptiarum solemnia hic celebrare consueverè Principes; Annō 1631. Ferdinandus primùm tertius cum Maria Hispan. Infante Philippi IV. sorore, quo è connubio Ferdinandus IV. & Leopoldus I. progeniti. Annō dein 1637. Uladislaus Poloniæ Rex cum Serenissima Archi-Duce Austriæ Cæcilia Renata Ferdinandi III. sorore. Ad summam denique Ecclesiæ hujus aram Annō 1666. Augu-

gustus Imperator Leopoldus I. cum Margaretha Hispaniæ Infante, Josephus item primus Romanorum Rex cum Serenissima Wilhelminâ Amalia auspicata connubia iniere. Inter beneficos præprimis Sacellum Laurentianum Illustrissimum Dominum Franciscum Comitem de Trautson commemorat, qui argenteis id cratibus non tam ad custodiā, quām insigne ornaementum munivit. Terrium etiam Sacellum D. Apolloniæ sacrum Annō 1643. Augustus Ferdinandus III. adjectit; affigebatur dectium doloribus adeo vehementibus Serenissimus Filius Leopoldus altero ætatis anno, Augustus dēiū Imperator, ut medelam propè medici desperārint; mox ubi Augusti parentes se votō obstrinxere aram D. Apolloniæ honoribus adornandi, gingiva jam jām putrescente integrum Leopoldus valetudinem recepit. Erecta hæc illico 3000. floritorum sumptibus; aucta etiam illustri ornamento, ab Augusta Leopoldina Ferdinandi II. conjugé Tyrolensi Divæ Apolloniæ dente, quem pietatis causâ pectori appressum gestare solita; diem demùm supremum obiens sacri hujus Thesauri aram S. Apolloniæ scripsit hæredem; accurrenti quot annis populo Octiduō diem nonam Februarii consequenti exosculandus præbetur. Insignes Divorum

C

telia-

reliquias Cruce Crystallina conclusas Eminentiss. Cardin. Julius Spinula Nuntius Apostolicus Augustæ Imperatr. Margarithæ Anno 1666, hæc verò Ecclesiæ S. Augustini addjecit; complectitur illa præter particulam S. Crucis, S. S. Andreæ & Thomæ Apostolorum, Sanctorum Stephani, Augustini Episc. Antonii Abatis, Ignatii Lojolæ, Francisci Xaverii, Dyonisi, Valentis, Victoris, Justini, & Claudiani Martyrum; Sanctorum Franciscæ Romanæ, Rosalie Panormit. Theodoræ V. M. reliquias; corpus ferè integrum S. Victoriae Martyris à Clarissimo Domino Joanne Schletzer J. U. D. Româ ex Crypta S. Cyriacæ allatum approbante Philippo Friderico Viennensi Episcopo fidelium venerationi exponendum obtigit Annô 1686. Cryptæ Illustrium Familiarum visuntur hic plurimæ; Comitum de Tieffenbach Anno 1637. exstructa, Principum de Schwarzenberg, Comitum ab Harrach, Walenstein, Lamberg, Stroz, Sprinzenstein, Palffy, Dietrichstein, aliorūmque condendis illustribus exuviis apparatæ; Exteriorem quod templi formam spectat, nihil à veteri immutatum, si turrim excipias, quæ cùm tecti medium vix attingeret antea, Augustus Ferdinandus III. Anno 1652. provehendam amplius curavit conferente in rem

rem eam Urbe Viennensi 6000. florenorum;  
hæc verò Augustus Cæsar litteris aureis in-  
scripsit :

**Firmitati, decori, & provectioni  
F.F. Eremit. Discalc. S. Augustini.**

Superiorem turris partem ambiunt se-  
quentia :

restaMento aperto CLangenDæ pletatIs  
ornaMento Libero aDeptæ paCIs  
ostento apto CoMpLenDæ annosItatIs.

Monasterium verò quod ruinam indies  
minabatur, magna ex parte renovatum,  
Annō demùm 1720. perfectum est.  
Quanquam omni pietatis genere viros il-  
lustres hoc cænobium coluerint, præcipue  
tamen illorum charitas laudanda in pesti-  
ferorum obsequiis enituit; strenuè hac in  
arena desudarunt Annō 1679. R. R. P. P.  
Joannes à Purificatione B. V. Fulgentius à  
sancto Gulielmo, Bruno à sancto Philip-  
po & Jacobo, Evodius à sancto Augustino,  
Victorius à sancto Laurentio, R. P. Gra-  
tianus à S. Maria, cum Antonio à S. Fran-  
cisco, artis Chyurgicæ perito, qui ambo  
paucos post dies pretiosæ charitatis victi-  
mæ obièrunt. Annō verò 1713. R. P. Benedi-  
ctus à sancta Elisabetha malo eodem corre-

ptus mortem gloriosam oppetiit. Neque  
ultrò Christiana se charitas provehere po-  
terat, quād dum animam pro amicis po-  
suere.

### Monasterium Ordinis Mino- rum S. Francisci de Paula.

**F**Riderico IV. etiamnum imperante Ordo  
Minorum S. Francisci de Paula in Ger-  
maniam expetebatur ; ipso à S. Ordinis  
Fundatore submissi Sociorum aliquot ; ne-  
que tamen ante Annum 1624 Viennam  
devenere ; hic ut stabilem deinceps sedem  
figere permitterentur , Serenissimi Lotha-  
ringiae , Bavariæque Duces haud parùm  
contulere ; tendebant R. R. Patrum duo  
Viennensem ad aulam Monasterii conden-  
di negotium tractaturi ; ut feliciorem even-  
tum , certiorēmque sortirentur , à Serenissi-  
mo Bavariæ Duce commendatitiis admo-  
dūm faventibus instructi Viennam perve-  
nere. Valuerant eæ plurimū apud Au-  
gustum , pientissimūmq; Cæsarem Ferdi-  
nandum Secundum ; perspecta religiosa  
Patrum , rigidāque vivendi ratione non po-  
testatem modò exstruendi Monasterii fe-  
cit , sed & fundatorem se ultrò profestus  
est. Delectus suburbanas inter vineas lo-  
cus vulgo Widen dictus à situ , auræque  
salu-

salubritate præ cæteris opportunus , ab il-  
lustribus modò & frequentibus palatiis  
amænus etiam . Annô igitur 1627 . prima  
Ecclesiæ conventusque fundamenta jacta ;  
primum quidem Ecclesiæ lapidem ipso Au-  
gusto Cæsare , Monasterii verò Serenissi-  
mo Filio Ferdinando ponente . Benevo-  
lentia omni exinde conventum complexus  
Imperator , suam hæredūmque singularem  
protectionem addixit , ab oneribus qui-  
busvis locum , & Paqes immunes voluit .  
Eximiam præterea in excolendo Monaste-  
rio operam Illustris Dominus Joannes Am-  
brosius de Rentz Hispano-Belgius tum ad  
aulam Cæsaream residens collocavit , viri-  
dario , ac vinea sumptibus non exiguis in  
rem eam comparatis . Primus Monasterii  
Præses ( quem Correctorem dicunt ) fuit  
R. P. Sebastianus Fricornatus è Burgundia  
oriundus ; hodie clavum R. P. Daniel Ma-  
chamayr SS. Theologiæ Lector tenet .  
Amæna Monasterii facies mirum quantum  
à Barbaris Annô 1683 . Viennam obsiden-  
tibus deformata est ; ut hostibus præsidium  
tolleretur , à nostris primum militibus suc-  
censum ; ingruentibus dein Barbaris supel-  
lex tum sacra , tum profana , Bibliotheca  
item , & quidquid integrum flammæ reli-  
querant , direptum , convulsumque , unum

si lavacrum marmoreum excipias; Eum ob  
 squallorem non nisi multo post tempore  
 melior species induci poterat, sumptum  
 præcipue defectu restaurationi necessario-  
 rum. Arâ summâ ad Annum usque 1718.  
 Ecclesia caruit, dum famulorum demùm  
 communi beneficiô construeretur, sancto-  
 rûmque Angelorum custodum honoribus di-  
 caretur; sub quorum præsidio conflata in-  
 ibi Sodalitas auctoritate Urbani VIII. Ro-  
 mani Pontificis Annô 1633. Alteram ve-  
 rò Sodalitatem Clemens XI. confirmavit;  
 collecta hæc à Viennensi famulitio S. S.  
 MM. Vitalem & Bonifacium Patronos ve-  
 neratur; quod Agricolæ iste, ille Aglae  
 primæ inter Romanos nobilitatis olim fa-  
 mularentur. Prodiere hoc è conventu om-  
 ni laudis genere celebres; sacrâ imprimis  
 facundiâ R. R. P. P. Vitus Faberius, Mar-  
 tinus Stöberl, Tobias Ekhardt, Hermanus  
 Mayr, aliisque floruere insignes singuli Ver-  
 bi Divini præcones; à severiorum verò sci-  
 entiarum cognitione Illustri RR. PP. An-  
 dreas Laiminger, Gregorius Gruuber, Si-  
 gismundus Kracher commendationem non  
 vulgarè tulerunt, constanti vitæ mode-  
 stia, zeloque Divini honoris communem  
 amorem, venerationemque sibi demerentur  
 etiamq[ue]. Ecclesia dicata Sanctorum Ange-  
 lorum

lorum custodum honoribus inter cætera pie-  
tatis monumenta DEIparæ iconem lignea  
in tabella depictam habet ab arte, amæni-  
tatéque singularem; hanc Serenissimus Ar-  
chidux Albertus Maximiliani Secundi Cæ-  
saris Filius, cùm Belgium gubernaret, suo  
in conclavi repositam summâ animi fiduciâ  
venerabatur, cum ea negotiorum molem, bel-  
lorumque apparatus discutiebat; hujus be-  
ficiô cruenta inter arma relatas identidem  
palmas prædicabat, illam præcipuè victo-  
riam prodigiò simillimam, cum diurna  
obsidione Ostenda cingeretur. A pientis-  
simi Archiducis excessu Athanasius de Le-  
gazpi Alberto percharus enixis precibus Se-  
renissima à Vidua imaginem impetravit,  
neque aliter ac thesaurum omnium maxi-  
mum ipse posterique clàm asservârunt, dum  
Emanuel Thomas de Legazpi Athanasii  
Nepos Annô 1706. præsentissimo è vitæ  
discrimine hoc præsidio liberaretur. Con-  
flictabatur is cum morbo longè gravissi-  
mo, dûmque remedii spes nulla affulserat  
alia, huc demùm supplex convertitur spon-  
sione adjecta, quòd si Divæ Virginis favo-  
re, calamitatis levamen obtingeret, publi-  
ca quapiam in Ecclesia ad honoris incre-  
mentum se imaginem collocaturum. Li-  
bravit fidem Emanuel incolumis omnino

à discrimine servatus ; prodigiosamque hanc iconem in Minimorum Ecclesia communī fidelium veneratiōni exposuit ; quam frequentes , variique favores S. Francisci de Paula intercessione impetrati , anathemata argentea , depictaque ubertim eloquuntur . Divi hujus Fundatoris festa dies magnâ supplicum frequentia , solennitateque obi- tur ; Divi item Francisci de Sales tertium olim Minimorum Ordinem professi , Sanctorumque Angelorum Custodum non mi- nori colitur pietate , memoriā ; illustriora inter sepulchra numerantur , quibus cineres complurium è familiis Principum à Liech- tenstain , ac Comitum à Kueffstain repositi quiescunt , quibus requiem sempiternam precamur .

### Monasterium R.R.P.P. SSS. Tri- nitatis de Redemptione Capti- vorum .

**O**rdo Sanctissimæ Trinitatis de Redemp-  
tione Captivorum jam Annō repara-  
tæ salutis 1198. , ubi Angelus sub veste can-  
dida , cruce cæruleo-rubea signatus Parisiis  
primū , Romæ dein manibus cancellatis  
captivos duos hinc Christianum , Maurum  
inde tenens apparuit , per gloriosos Patriar-  
chas Divos Joannem de Matha , & Felicem  
de

de Valois cœptus , confirmatūsque auctoritate Innocentii III. Romani Pontificis , prope finem superioris sæculi terras etiam in Austriacas delatus sub Annum nempe 1688. Flagitante Innocentio XI. , precibusque sollicitis Excel. Dom. Comitis Bonaventuræ ab Harrach , ejusdémque Excell. consortis natæ Comitis de Lamberg exoratus August. Leopoldus I. clementissime indulxit , ut Monasterium loco prope urbem ( vulgus picarum plateam dicit ) consideretur. Centum & amplius Religiosorum incolarum capax est , salubri præterea amænique loco situm. Nullos quidem haecennus naçtum fundatores ; piorum solummodo beneficentiâ obvenientibus eleemosynis suos alit ; neque iis integris suo pro instituto uti concessum ; verum tertiam earum partem , quæ tametsi in alendos solum Religiosos deferantur , in redimendos captivos insigni charitatè convertunt. Quod verò in captivorum redemptionem corrugatur , totum quantum eò impendunt ; vel minimum quid suis usibus reservare voti religio interdit. Modestam non minùs , ac austera vivendi rationem sectantur ; non aliis ac Dominicis diebus carnibus velcuntur ; seu habendis concionibus , seu prælegendis severioribus scientiis distineantur ,

nullâ honoris , commodîve præ cæteris  
gaudent prærogativâ. Incoluere Monaste-  
rium à virtute scientiâque spectati plurimi;  
paucos referre liceat : R. R. P. P. Joannes  
à Nativitate , Josephus à S. Sacramento ,  
Joannes à S. Augustino Hispani omnes ,  
quibus illustris Sanctimonîæ famam sum-  
ma vitæ austera , rerum cælestium con-  
templatio assidua , suique despicientia con-  
ciliavit , magnum ut sui desiderium pientif-  
simè decadentes Viennæ reliquerint. Vir-  
tuti egregiam tum profanis , tum sacris in  
scientiis eruditionem junxere : R. R. P. P.  
Josephus à JESU Maria , Josephus ab An-  
gelis , Josephus à Matre Dei , Isidorus à  
Visitatione , Martinus ab Ascensione ,  
Emanuel à S. Maria ; communi eruditorum  
sententia præcipuos inter suæ ætatis Theo-  
logos referendi , nisi Ordinis statuta prohi-  
buissent , publicis doctorum honoribus  
dignissimi. Non minorem laudem sacra à  
facundia R. P. Isidorus à Visitatione Au-  
striacus Viennensis tulit , ob eámque Au-  
gust. Leopoldo I. in delitiis habitus ; ad  
Indias usque salutis alienæ desiderium Isi-  
dorum excivit ; verùm post extortas Londi-  
ni crebras heterodoxis palmas Hibernico  
in mari naufragus diem obiit supremam  
1703. Claruere item dicendi facultate

R. R.

R. R. P. P. Lucas à Regibus , Ignatius à S. Michaële Viennenses ambo , ambo ægrotorum inter obsequia morbō ipsi correpti obiérunt ; Zeli , facundiæ , doctrinæ cum sui desiderio prælō vulgata monumenta reliquère . Quam sollicita charitate pro Ordinis sui instituto præcipuo barbarorum immanitati fideles eripuerint , magnus redemptorum numerus palam facit . R. P. Maurus à Conceptione Captivos 16. Annō 1691. primū , Annō 1693. dein 34. libertati asseruit , postquam quatuor mensium spatiō carcerem dirissimum , plurimāsque columnias ipse tolerāset . R. P. Joannes à S. Augustino terna expeditione feliciter confecta centum novendecim fidelium Patriæ restituit ; R. P. Josephus à S. Sacramento Quingentos viginti duos Annō 1700. & 1703. ; quadringentos triginta sex R. P. Joannes à Felice Anno 1707. & 1709; & novissimè R. P. Josephus à JESU Maria 1714. & 1720. sexcentos septuaginta octo Barbarorum vinculis exemerunt . Neque pauci Judæorum perfidiæ hæresique erepti Ecclesiæ gremio R. R. P. P. operâ inserti . Templum ad elegantiam omnem , nitorēmque piorum liberalitate excultum inter præciucas Sanctorum reliquias numerat S. Anna , S. Caroli Borromæi , S. S. V. V. & M. M.

M. M. Barbaræ, & Catharinæ ; particulas  
item è cruce , cunabulis , sepulchro Ser-  
vatoris , fune etiam , quo columnæ alliga-  
batur ; corpus denique integrum S. Viëto-  
ris Martyris , beneficiò quidem Aug. Im-  
per. Amaliæ Wilhelminæ , Anno 1713.  
publicæ venerationi expositum. Prodigis  
clarissima Crucifixi Servatoris imago Cibi-  
nii reperta , Annô 1708. templo huic illa-  
ta singulari colitur religione ; duplex item  
B. D'Elparæ imago B. Virg. de Bethlehem  
una , altera beata Virgo ad Nives , utraque  
à favoribus crebrè impetratis celebris. Il-  
lustrissimis quibusvis è familiis hoc in tem-  
plo sepeliri voluere. Annô 1693. Excell.  
D. Comes Antonius Caraffa , conjux dein  
ejusdem Excell. D. Catharina nata Comes  
de Cordona , plurésque Illustriss. hujus fa-  
miliæ , Annô 1709. Sereniss. Princeps Ma-  
ria Leopoldina Princeps de Hohenzollern  
nata Comes de Sinzendorff. Annô 1714.  
Illustris , & Rever. D. Joannes Ludovicus  
Rabutin Comes de Bussy Præpositus Arda-  
censis Canon. Olom. Excell. D. Franciscus  
Bernardus Marchio de Montnegre Hispa-  
niæ grandis. Annô 1715. Excell. D. An-  
tonius Rogerius Comes de Eril Toletto,  
Vicentello , Marchio Fontis Sacrati. An-  
nô 1716. Excell. D. Joannes Ludovicus  
Ra-

Rabutin Comes de Bussy Transylvaniæ Gu-  
bernator. Annō 1717. Celsiss. D. Maria  
Emanuela de Cordona. Annō 1720. Ex-  
cell. D. Didacus Hurtado de Mendoza, &  
Sandoval Comes de Corzana Eques S. Ja-  
cobi. Annō 1721. Excell. D. Josephus  
Coloma, & Borchia, Marchio de Na-  
quera. Annō 1722. ExCELL. D. Ludovicus  
Emanuel Fernandez à Corduba Comes de  
Sancta. Cruz de Los Manueles Eques Or-  
dinis de Alcantara, è qua Illustriss. fami-  
lia plures hic quiescunt. Annō 1723. Ex-  
cell. D. Franc. Confalez de S. Cruz Mar-  
chio de Villanova, & Ebro. Annō 1725.  
Sereniss. Dom. Elisabetha Dorothea nata  
Dux de Schleswig-Holstein Vidua Excell.  
Com. Rabutin. Illustrissimus D. Ferdinandus  
Marquardus Comes ab Harrach. An-  
nus item 1725. singulari dignus memoria.  
Sepulchro illata Illust. D. Magdalena Mar-  
garetha Waltherin nata de Volkmet con-  
fors Illust. D. Ernesti de Waltheru Civi-  
tatis Norimbergensis tum ablegati; vix  
medii anni à morte spatio per R. P. Ferdi-  
nandum à S. Trinitate hæresi erepta; quod  
exemplum mox ipse Illust. conjux fecutus  
est. Post S. Trinitatis Divorūque Funda-  
forum festa singulari celebritate obeuntur:  
testum SS. VV. MM. Agnetis Ordinis to-  
tius

tius Patronæ, & S. Catharinæ; Dominica post festum Circumcisionis, festum B. V. de Bethlehem, & ad Nives. S. Crucis, Transfigurationis Domini ob imaginem JE-SU Nazareni à Mauris interceptam, à R.R. verò P.P. Trinitariis Annô 1682. redemptam; hæc Madriti, ectypon Viennæ asservatur. Mensibus singulis intra asceterium longo ordine comitantium sodalium S. S. Evcharistia supplicatione privata defertur; Publicâ vero Dominicâ octavam Corporis Christi sequente, uti & festo SSS. Trinitatis solemni prorsus apparatu habetur; longius quin etiam proceditur in Lanz scilicet, ac Fones Marianos. Itaque charitati suæ in captivis redimendis insignem in fidelibus pietatis promovendæ Zelum conjungunt.

### Monasteria R. R. P.P. Capucinorum in, & extra Urbem.

**P**rinceps Cels. & Archi. Episcopus Praegen sis Sbigneus Gregi suo adversus hæresim consulturus sacro hoc ex Ordine à Clemente VIII. Rom. Pont: strenuos operarios expetiit. Delectus R. P. Laurentius à Brundusio vir doctrinâ non minùs, ac sanctimonîa celebris cum duodecim sui Ordinis sociis, qui in laborum partem vigilantissimi Pastoris venirent. Verùm cùm Vien-

Viennam transfere, grassante undique lus  
 pestifera, ultrà progredi prohibebantur.  
 Divertere tantisper apud R. R. P. P. Con-  
 ventuales ad S. Crucem, atque omni ob-  
 sequiorum genere excepti, dum à Sereniss.  
 Archi - Duce Mathia Rudolphi II. Imper.  
 Fratre Celsiss. Princeps, & Episcopus Vienn.  
 Melchior Klesselius dominum quampiam  
 habitandam prope S. Udalrici Ecclesiam  
 impetrâsse. Exiguo illo è numero decem  
 mox graviùs ægrotârunt. Commodior igi-  
 tur habitatio valetudinis reparandæ causâ  
 ab Ernesto L. B. de Molard, & Alexandro  
 Zazara Nobili Italo intra urbem procura-  
 ta. Nondum satis affectui suo, quo in  
 Patres ferebatur, datum reputabat Ernestus,  
 nisi condendi etiam Monasterii à Rudolpho  
 Cæsare, & Archi - Duce Mathia potestatem  
 impetraret ; quam ut obtinuit, tantum  
 fundi prope Ecclesiam S. Udalrici attribuit,  
 quantum Templo, Monasterio, ac horto  
 instruendo sufficeret. Erecta Crux Sere-  
 niss. Archi-Duce Mathia, totóque comita-  
 tu Aulico inspestante ab Illustriss. Reve-  
 rend. D. Francisco Forgatsch Episcopo Ni-  
 tri uberrimô Patrum gaudiô, quod pri-  
 mum intra Austriae fines Monasterium id  
 esset futurum. Infestus Annus 1683. Mo-  
 nasterio accidit; eversum id penitus à Tur-  
 cis

cis Viennam obsidentibus ; è cineribus  
verò rursum, meliorem quidem in formam  
revocatum ab Excell. D. Comite Carolo  
Sereni S. C. M. Campi Mareschallo, sibi, ac  
posterioris in monumentum.

Decretum & alterum R. R. Patribus Ca-  
pucinis Monasterium à Mathia Rom. Im-  
per. ejusdémque Conjugé pientissima An-  
na; iis præmatura morte sublatis id Aug.  
Imp. Ferdinandus II. Annō 1622. sumptu-  
bus suprema voluntate Aug. Imper. Annæ  
eo destinatis auspicabatur. Diē Nascenti  
DEIparæ sacra anni memorati præsente ip-  
so Aug. Imperatore, Eleonoræ Conjugæ,  
Ferdinando, Leopoldo, Maria Anna, Cæ-  
cilia Renata Serenissimis liberis Eminent.  
D. Franciscus Cardinalis à Dietrichstein  
Episcop. Olomuc. erecta de more Cruce,  
ac habito ad populum affuentem sermone  
à R. P. Hyacintho Casalensi Capuc. Concio-  
natore Apostolico primum lapidem posuit.  
Annō vetò 1632. die 25. Julii August. rur-  
sus universæ Domus præsentia ab Illust. &  
Reverend. Principe Antonio Episcopo Vien-  
nensi, ac Cremifan. Cænobii S. Benedicti  
Abbate sub S. Mariæ Angelorum Reginæ  
tutela Ecclesia est consecrata. Sedula ab-  
inde Sacramentorum Poenitentiae, & Evcha-  
ristiæ administratione, impensis in ægro-  
rum

rum solatia diu, noctuque laboribus, Verbi Divini tum sua in Ecclesia, tum exteris frequenti prædicatione adeò sibi Viennensem amores demeruere, ut in alendam familiam sat ampli eleemosynas liberaliter semper conferrent. Verum non Ecclesiastmodò, ac Monasterium Anna Imper. sed & facillum, sub quo crypta sibi, suoque Augusto conjugi Mathiae conderetur, exstruendum, imperarāt. Impleta voluntas Fundatricis piissimæ; atque Augustorum conjugum corpora, quæ interea temporis in Regio Monasterio deponebantur, in monumentum recens translata sunt; ubi etiamnum cum aliis plurimis è Seren. Domo Austriaca vita functis quiescunt; lubeat re-censere singulos eo quidem ordine, quo diem supremum obierant:

1. August. Rom. Imperatrix Anna Mathiae Cæsarialis conjux Monasterii Fundatric mort. Vienn. 15. Decemb. Annô 1618.
2. August. Rom. Imperator Mathias Rudolaphi II. Frater mort. Vienn. 20. Martii, Annô 1619.
3. Sereniss. Archi-Dux Philippus Augustinus Ferdinandi III. Filius, & Mariæ Infant Hispan. mort. Vien 22. Junii Annô 1639.
4. Sereniss. Archi-Dux Maximilianus Thomas Ferdinandi III. & Mariæ Infant Hispan.

D

Span.

- span. Filius, mort. Vienn. 29. Junii Annō 1639.
5. August. Rom. Imperatrix Maria Infans Hispan. Ferdinandi III. Conjurx unā cum Sereniss. Archi - Duce Maria Matris defunctæ utero excisa, mort. Lincii 13. Maji Annō 1646.
6. August. Rom. Imperatrix Maria Leopoldina Tyrol. Ferdinandi III. Conjurx secunda, Sereniss. Archi - Duc. Leopoldi, & Claudiæ Filia, mort. Viennæ 7. Augusti Annō 1649.
7. Serenissima Archi - Dux Maria Theresia Ferdinandi III. & Mariæ Eleonoræ Mantuanæ Filia, mort. Vicenn. 17. Julii Annō 1653.
8. Augustus Rom. Rex Ferdinandus IV. Ferdinandi III. & Mariæ Infant. Hisp. Filius, mort. Vienn. 9. Julii Annō 1654.
9. August. Rom. Imperator Ferdinandus III. mort. Vienn. 2. Aprilis Annō 1657.
10. Sereniss. Archi - Dux Ferdinandus Josephus Ferdinandi III. & Mariæ Eleonoræ Mantuanæ Filius, mort. Vienn. 16. Junii Annō 1658.
11. Sereniss. Archi - Dux Leopoldus Wilhelmus Ferdinandi III. Frater, mort. Vien. 20. Novemb. Annō 1662.
12. Sereniss. Archi - Dux Carolus Josephus Fer-

- Ferdinandi III. & Mariæ Leopoldinæ Filius, mort. Lincii 27. Jan. Annō 1664.
13. Sereniss. Archi - Dux Ferdinandus Leopoldus Wenceslaus primo - genitus Leopoldi I. & Margarithæ Infant. Hispan. mort. Vienn. 13. Jan. Annō 1667.
14. Sereniss. Archi - Dux Joannes Austria-  
cus Leopoldi I. & Margarithæ Infant.  
Hispan. Filius. vix editus obiit Vienn.  
20. Febr. 1670.
15. Sereniss Archi - Dux Maria Anna Leo-  
poldi I. & Margarithæ Infant. Hispaniæ  
Filia, mort. Vienæ 23. Februarii An-  
nō 1672.
16. August. Imperatrix Margaritha Hispá-  
niæ Infans, prima Coniux Leopoldi I.  
mort. Vienn. 12. Martii Annō 1673.
17. Sereniss. Archi - Dux Anna Maria Leo-  
poldi I. & Claudiæ Felicitatis Filia, mort.  
Vienn. 21. Decemb. Annō 1674.
18. August. Imperatrix Claudiæ Felicitas se-  
cunda Leopoldi I. Coniux, mort. Vien.  
7. Aprilis Anno 1676. cuius Corpus in  
Templo R. R. P. P. Dominicanorum, cor  
verò hic sepultum.
19. Sereniss. Archi - Dux Maria Josepha  
Leopoldi, & Claudiæ Felicitatis Filia  
mort. Vienn. 11. Julii Anno 1676.
20. Sereniss. Archi - Dux Leopoldus Leo-  
poldi

- poldi I. & Eleonoræ Magdalenaæ Filius,  
mort. Enseggi 3. August. 1684.
21. Filius N. N. Sereniss. Comitis Palatini  
Rheni, Archi-Ducis Mariae, mort.  
Vienn. Annō 1686.
22. August. Imperatrix Maria Eleonora  
Mantuana tertia Ferdinandi III. Coniux  
mort. Vienn. 6. Decemb. Annō 1686.
23. Sereniss. Archi-Dux Mariana Ferdinandi III. & Mariæ Eleonoræ Mantuanæ  
Filia, Com. Palat. Rheni, mort. Vienn. 4.  
Aprilis Annō 1689.
24. Sereniss. Archi-Dux Margarita Leopoldi I. & Eleonoræ Magdalenaæ Theresiaæ  
Filia, mort. Vienn. 20. Aprilis Annō 1691.
25. Sereniss. Archi-Dux Maria Antonia  
Leopoldi I. & Margaritæ Infant. Hisp.  
Filia, Dux Elect. Bavariæ, mort. Vienn.  
24. Decemb. Annō 1692.
26. Sereniss. Archi-Dux Maria Theresia  
Leopoldi I. & Eleonoræ Magdalenaæ Theresiaæ  
Filia, mort. Eberstorffii 28. Septemb.  
Annō 1696.
27. Sereniss. Maria Eleonora Regina Poloniæ, Dux Lotharingiæ, Ferdinandi III. &  
Mariæ Eleonoræ Mantuanæ Filia, mort.  
Vienn. 17. Decembr. Annō 1697.
28. Sereniss. Archi-Dux Leopoldus Josephus

phus Josephi I. Rom. & Hung. Regis, &  
Amaliae Wilhelminæ Filius mort. Vien.  
4. August. Anno 1701.

Ubi vero angustior reddebat crypta,  
quam ut plures deinceps caperet, am-  
plior Leopoldi I. Rom. Imper. Imperio  
instructa sub ipsa Ecclesia, in quam An-  
nō 1710. Augusta è Domo Austriaca  
defunctorum corpora sunt translata.

Quibus appositi : August. Romanorum  
Imper. Leopoldus I. mort. Vienn. 5. Maii.  
Annō 1705.

August. Rom. Imperator Josephus I. mort.  
Vienn. 17. Aprilis Annō 1711.

Sereniss. Dux Carolus Lotharingiæ Archi-  
Episc. Trevit. Episcop. Osnabrug. S. R. I.  
Elector mort. Viennæ mens. Decembr.  
Annō 1715.

Sereniss. Archi - Dux Leopoldus August.  
Imper. Caroli VI. Filius, mort. Vienn.  
1. Novemb. Annō 1716.

August. Rom. Imperatrix Eleonora Magda-  
lena Theresia, mort. Vienn. 19. Jan. An-  
nō 1720.

Prope Ecclesiam Thesaurus sacer asser-  
vatur Annæ item Imperat. voluntate eò de-  
stinatus ; & quanquam à gemmarum co-  
pia sit celeberrimus, maximum tamen à  
Divorum reliquiis pretium accedit. Habe-

tur ibidem particula S. Crucis; sindon, qua  
 Servatoris sanguis exceptus est; pars veli B.  
 Virginis; pars pallii S. Josephi; pars ossis,  
 & dentes S. Sebastiani; Calvariae S. Agne-  
 tis V. M. S. Christinæ, S. Vincentii M. pars  
 ossis S. Theclæ, S. Thomæ Cantuar. S. Petri  
 Veron. Corpus S. Timothei M. Manus in-  
 corrupta S. Athanasii; pes incorruptus In-  
 nocentis Infantis; pars flagelli, quo Chri-  
 stus cæsus; tres particulæ sanguineæ co-  
 lumnae, cui Christus alligatus; pars men-  
 sae, cui in cæna ultima Christus accubuit;  
 collectæ reliquiæ singulorum e sanctis  
 Apostolis; Calvaria, & ossa S. Maximinæ  
 V. M. SS. Fabiani & Sebastiani, S. Adriani  
 M. M. Pars Calvariae S. Damasceni, & Gre-  
 gorii Pont. Pars Calvariae S. Joannis Bapti-  
 stæ; Ossa SS. Dionysii M. & Udalrici Episc.  
 Calvaria integra S. Elisabethæ Reginæ Hung-  
 gariæ; Caput S. Bonifacii M. Item SS. Fra-  
 trum & MM. Prothi, & Hiacynthi; SS.  
 Honorii, Silymii, Exsuperii, Prudentii MM.  
 S. Jobis Virginis M. Guttæ aliquot lactis  
 B. V. MARIAE; item Guttæ lactis, & san-  
 guinis S. Catharinæ; dens S. Petri Aposto-  
 li, S. Apolloniæ, S. Cosmæ M. Pars vexil-  
 li S. Georgii M. ejusdémque pollicis; Partic.  
 S. Josephi Nutritii, S. Chrystophori, S. Pa-  
 tritii; Dens S. Ursulæ, S. Elisabethæ Regi-  
 nae.

næ Hungariæ; Part. vestis B. Virg. MARIÆ, ejusdémque imago lignea non alio ab artifice, quam natura ipsa elaborata; Pars Calvariae Infantis Innocentis; Particulæ SS. Magorum; generis varii reliquiæ S. Maxentii, ejusdémque Sociorum; manus incorrupta S. V. M. Euphemiacæ; Pars vestis, & baculi S. Francisci Seraph. qui in arborem excrevit; reliquiæ Sanctorum Martyrum Floræ, Paulinæ, Sotteris, Theclæ, Martinæ, Euphemiacæ; SS. MM. Prudentii, Alcemni, Isidori, S. Confess. Alexii; Articulus digiti S. Proto-Martyris Stephani; Item S. Leopoldi March; Pars Sindonis, qua Christi sepulti corpus involvebatur; S. M. Colomanni, S. Regis, & M. Sigismundi; Capilli S. Regis, & M. Wenceslai; reliquiæ S. Eustachii; quatuor è ligno formati infantes, quorum unus non sine prodigo suo è loco se moverat, mediumque aræ occupans DEUM adorantis speciem præsetulit, unde movente nemine suam tursum in stationem se recepit; Particula S. Annæ; Calvaria S. Adelgundis; reliquiæ S. Kiliani, & Sociorum; SS. Lucæ, Cosmæ, Damiani, Pantaleonis; capilli S. Claræ V. costa S. Martini Episc. Infans integer ex Innocentibus; caput & capilli S. Brunosæ V. M. calci ferventi injectæ; reliquiæ SS.

D 4

MM.

MM. Cassiani, Maximi, Hiacynthi, Zenobii; S. Antonii Abb. Mandibulum S. Petri Cœlestini; Calvaria S. Ursulæ V. M. Digerus pedis S. Magdalena incorruptus; scapula S. Elisabethæ Reginæ Hungariae; Particula ex rubo, & virga Moysis; Particula brachii S. Longini Cent. S. Helenæ Imper. sanguis S. Bonifacii; Item part. S. Annæ; Purpuræ, coronæ spineæ, sudoris Christi servatoris; bursa, è qua Rex Stephanus elemosynas porrigebat. Quæ reliquiæ variis distinctæ capsis, unionibus, gemmis ornatae sunt copiofissimè. Binas præterea imagines thaumaturgas habet Monasterium. Mantuâ allatas in aulam primùm Cæsaream, RR. PP. Capucinis dein donatas. Prima earum Christum flagellatum, prostratumque ad columnam exhibit; Annô 1678. mense Julio sanguinem copiosum sudaverat; quod omen tum credebatur in sequentis mox Annô 1679. pestis. Imago altera DEIparæ est, prodigiis Mantuæ celeberrima. Tot munitum præfidiis Monasterium, quanquam postrema Urbis obsidione creibis ignibus globisque peteretur, læso omnino Religiorum nemine, vix damni quidam cœpit. Primus Cœnobio præfuit R. P. Romanus Laudensis; modò A. R. P. Sanctus Gmundensis Concionator, SS. Theologæ

logiae Lector emeritus, Definitor, & Custos  
moderatur sapientissimè. Viri verò præ-  
ter plurimos alios, à virtute, & scientia  
celebres incoluere: A. R. P. Laurentius à  
Brundusio vir linguarum varietate, doctri-  
nâ, & sanctimonîa spectatus; R. P. Vale-  
rianus magnus Hæreticorum malleus; Illu-  
strissimus, & Reverendissimus Princeps Eme-  
ricus Episcopus Viennensis; R. P. Marcus  
de Aviano, quem à sanctimonia singulari  
celebrem per Provincias, & urbes plurimas  
fama vulgaverat.

## Monasterium Servorum B. Vir- ginis MARIÆ Annuntiatæ.

**P**rimus, qui sedem Servis B. Virginis  
Viennæ inquireret, fuit R. P. M. Se-  
steneus Alexandrinus, quem Tyrolim trans-  
euntem Serenissimus Archi-Dux Leopol-  
dus Clementissimis litteris ad Augustum  
Fratrem Ferdinandum II. est comitatus, qui  
bus Cæsarialis benevolentiam Sesteneo, to-  
tique Venerabili Ordini demereri studuit.  
Non remissiores litteras eodem ab Archi-  
Duce impetravit R. P. Josephus Maria Sua-  
rezius ex Montis Senonii cremo Viennam  
tendens Ordinis sui negotium post Sest-  
neum promoturus. Affulgebat spes omnis

haud ita multò pōst cænobium excitandi;  
 Ferdinandi benevolentia, atque interposita  
 auctoritas optima quæque spondebat.  
 Forum D. Petri opportunum præ cæteris vi-  
 debatur, utpote à Religiosorum aliorum  
 ædibus remotius aliquantūm; neque Cæ-  
 sar dissentiebat. Verū tot, tantæque  
 molis obstacula Clementissimam Principis  
 voluntatem, Suarezii desiderium mora-  
 bantur, ut nonnisi decenniō pōst Annō  
 nempe 1636. feliciorem is negotii sui even-  
 tum sortiretur. Annuit tandem Illustr. ac  
 Reverendiss. Antonius id temporis Urbis  
 Episcopus, Ferdinando crebrius hortante,  
 ut conderent P.P. Monasterium, ea tamen  
 lege, ut à mendicatione omnino abstine-  
 rent. Obtentis in rem eam solemnibus lit-  
 teris non moratus Suarezius locum futuro  
 Monasterio destinare. Rosaugiam inter  
 suburbia Religiosorum ædibus destitutam,  
 cùm spes Urbis affulgeret nulla, delegit,  
 locum in animarum potissimum commoda  
 opportunum. Obstatere Rosaugienses pio  
 Consilio, suorum ipsi commodorum oblii,  
 obstatissimque amplius, nisi adversus ob-  
 strepentes Sereniss. Archi-Dux Leopoldus  
 Guilielmus, Augusti Parentis tum Ratisbo-  
 næ morantis vices gerens, MARIÆ Servos  
 strenue fuisse tuitus. Neque deceperant alii

ma-

majoris etiam dignitatis Ecclesiasticæ, qui prohibere niterentur; Morte ipsa August. Cæsar, atque ipsius etiam Suarezii suspensum rursus negotium. Impetrata tandem condendi in Rosaugia Monasterii potestas promovente R. P. Cherubino Odaleo Anno 1638. ab August. Imper. Ferdinando III. Destinati Commissarii, qui locum ibidem designarent; Domus, hortusque contiguus Catharinæ Quarinin Viduæ cuiusdam constitutus, pretioque redemptus. Initiatus locus, crux defixa; ædes veteres in tumularium quoddam asceterium, atque contiguum iis stabulum humile in Sacellum migravit, cui D. Annuntiatæ nomen inditum. Consecravit id Nuntius ipse Apostolicus August. Cæsare Ferdinando III. Serenissimis Archi-Ducibus Leopoldo Guilielmo Fratre, Filio Ferdinando, Legatorum, ac Optimatum corona spectante. Re ita constituta Ordinis universi caput Archangelus Benivenius Viennam appulit, advenitque Thesaurum longè pretiosissimum iconem scilicet B. Virginis Annuntiatæ ex arche-typo Florentino, quod Angelicis manibus depictum dicitur, translatam. Religiosa illico munia suos inter Benevenius partitur; habendis concionibus, catechesi, sacro tribunali, juvandis præcipue

pue ægrotantibus præfecit; cui sacro ope-  
 ri se mox accinxere P.P. atque hodiernam  
 in diem singulari obeunt solertia. Non exi-  
 gua tamen abinde bene cæpta prosequendi  
 difficultas emerserat. Frustra subsidium  
 fundationis expectabatur; sumptus hinc no-  
 vis ædibus destinatos in Religiosorum Fra-  
 trum alimenta, qui septem tum erant, con-  
 vertere cogebantur. Porrectus August.  
 Cæsari libellus supplex, quo mendicandi  
 necessitas exponebatur, facultas petita est.  
 Annuit ille, non item Urbis Episcopus, cæ-  
 teros Religiosorum mendicantium catus  
 invitò ratus futuros; dum & hi consenti-  
 rent, frequentibus exoratus precibus indul-  
 sit, quadrienniō ut liceret PP. mendicatō  
 vivere. Verùm ubi sacra novorum colo-  
 norum conamina perspexit, perpetuam  
 eam voluit potestatem. Non cessatum in-  
 terea fundatorem requirere; repertus is,  
 post August. Austriacorum Domum, Osta-  
 vius Picolomineus Excell. Amalphitarum  
 Dux, qui postquam florenorum aliquot mil-  
 lia contulisset, Cotetzianum Dominium  
 in Bohemia transcriptis, quo divendito  
 pro novo illico cænobio, eique conjun-  
 genda Ecclesia aperta sunt fundamenta;  
 in partem ædificii non modicam plurimum  
 contulit Reverendissimus D. Doctor Elias  
 Scil-

Schiller, quem secuti ex omni Viennensis ordine pro sua in D. Virginem pietate, ejusque in servos benevolentia liberali subsidio in eum ædes sacras splendorem provexere, quem etiamnum miramur. Binas DEIparæ icones spectare est in Ecclesia repositas; utraque illæsa inter flamas servata dicitur. Floret Archi - Sodalitas B. V. Dolorosæ, cui præter cæteros Sodales plurimos nobilitatis primæ Augusti etiam Cæsares, Archi - Ducésque sexus utriusque inserti. Nihil denique eorum prætermittitur, quæ ad augendam DEIparæ venerationem, ad contestanda Servorum fidelissimorum obsequia faciunt.

## Asceterium Sanctimonialium ad S. Jacobum.

**P**RIMA inter Urbis Templa S. Jacobo sacram numeratur, Annò nempe 1113, à Leopoldo V. S. Leopoldi Marchionis filio inchoatum; tum quidem ampliata nondum Urbe in suburbio *Hieben* dicto id situm erat, postmodum intra mænia receptum. S. Jacobi honoribus Ecclesiam dicandi statua S. Jacobi occasionem fecerat. Viennam fluvium obambulabat Leopoldus, cogitabatque, cuinam potissimum Sancto.

Etorum sacram velit Ecclesiam; tum ecce  
 ligneam molis exiguae statuam fluvio innat-  
 tare conspicit; eximi illico imperat, vi-  
 dētque Divum eam Jacobum referre. Vo-  
 luntatem Numinis Leopoldus interpretatus  
 S. hujus Apostoli honori fecit consecrari.  
 Spectatur etiamnum imago ea portæ, qua  
 asceterium aditur, imposita. Adjectum  
 Templo asceterium Annō 1130. Piæ quæ-  
 piam Matronæ è Carinthia advenerant,  
 quas eò pietatis ardor adduxit, ut ad con-  
 dendum Monasterium facultates suas con-  
 ferrent, séque ipsas in eo Divino obsequio  
 totas addicerent. Ubi locum exstruendo  
 asceterio opportunum à Leopoldo expe-  
 tivere, Templum S. Jacobi cum amplissi-  
 mo spatio circumjacente est attributum;  
 non spatiū modō, sed & sumptus quos-  
 dam Leopoldus adjecit. Dotatum dein à  
 Matrona Kilberin dicta, demum à D. de  
 Careith Nobili Carintho ita aucta funda-  
 tio, ut socias sibi adjungere, aleréque  
 possent Matronæ. Nondum certum vi-  
 vendi institutum sibi delegerant; dubiae  
 diu enixis precibus DEI nutum explorâ-  
 runt; in somnis tandem S. Augustinum  
 spectasse fama est; quo ostento ve-  
 lut admonitæ S. Augustini Regu-  
 lam exinde sunt sectatae.

Ora-

## Oratorium Congregationis S. Philippi Nerii ad SSS. Trinitatem.

**C**ongregatio S. Philippi Nerii per Italiam quidem omnem, Romæ præprioris celebratissima tandem Viennam Austriae per Reverendissimum P. Joannem Georgium Seidenbusch, primum in Germania ejusdem Præpositum traducta; qui ut eam jam antea Auffhusum, Monachium dein, ita in Austriaeorum metropolim summo salutis alienæ promovendæ studiō trans-tulit primus. Fortè sub Annum 1700. Beneficium, ut vocant, simplex ad Sanctissimam Trinitatem per Bartholomæum Menhofer postremum ejus possessorem vacare contigit, cùmque jus omne, ac potestas præsentandi plenissima penes Leopoldum Gloriosissimæ memoriæ August. Rom. Imp. fuerit, sanctissimo huic cætui beneficium isthoc conferendum, atque ob eximum, ut datis ad Cels. Urbis Episcopum literis August. Imper. memorat, quod ex hinc sperare licet proventurum Divini cultus augmentum præsentandum duxit. Dum dictum Rd. P. Georgium Seidenbusch Cels. Princ. & Episcopo Ernesto è Comitibus de Trauthson Almae hujus Congregationis Præpositum ut eidem beneficium memoria-

tum

tum, cum juribus omnibus, fructuūmque perceptione, possessionēque conferretur, clementissimē commendavit. Præstitum id Annō 1701. 19. Februari. Confirmata Congregatio, atque in protectionem recepta à Celsiss. Principe, & Episcopo Franciso Ferdinando ex Baronibus de Rumel, die 12. Febr. Annō 1707. Præfuit Ven. Congregationi huic Georgius vir laude omni dignissimus Annos omnino viginti, & quatuor, menses novem, liberò demum membrorum omnium suffragiō ejusdem claves eo animi demissi sensu, quo accepit, conferendas alteri reliquit Annō 1725. 30. Octobr. Paucis pōst diebus votis communib[us] successorem diligere placuit A. R. P. Franciscum Martinum Stare virum de ordine suo quām optimē meritum, 18. jam antea annis absente Præposito Superioris munere defunctum. Strenuè partes omnes explevit; præter Bullam, & litteras confirmatorias Summi Pont. Clementis XI. domum quoque beneficio antē annexam, separatam verò superiori sēculo magno labore, & sumptibus, confirmante, & approbante Excelſ. Regimine in perpetuum Sanctissimæ Trinitatis Ecclesiæ conjunxit. Cū verò ruinam minaretur, unā cum templo quatuor annorum intervallō meliorem in

in formam redacta est. Primus in ea DEO hostiam litabat Perill. ac Reverendiss. D. Josephus Ant. de Haack, Metropolitanæ ad D. Stephanum Basilicæ modò Canonicus, & cætūs benefactor. Tametsi laudibus Divinis ferè perpetuis Ecclesia resonat, singulari tamen solennitate Sanctum Ordinis sui Fundatorem, ex cuius præcordiis approbatas à Celsiss. Archi-Episcopo reliquias venerationi publicæ exponunt, prosequuntur. Titulare præterea Festum Sanctissimæ Trinitatis, S. Francisci Salesii, S. Caroli Boromæi, S Martini Episcopi, S. Leopoldi Austriæ March. Festum item titulare Congregationis de pia vita, & bona morte Dominicâ 4tâ. Januarii solenni apparatu celebrantur.

## Monasterium F.F. Misericordiæ S. Joannis de DEO.

**E**Vocati ex Italia Annô 1612. Religiosi F.F. S. Joannis de DEO ab August. Imper. Mathia, Carolo Principe de Liechtenstein suadente, urgentéque, in ægrotantium Viennensium solatium, qui per angustias rei familiaris sibi ipsis auxilio esse non possent Comparatus primùm hortus 1300, Rhenensium pretiō in suburbio, nunc

E    Leo-

Leopoldino; quo loco dein Monasterium,  
 ac Templum S. Joanni Baptistæ sacrum Ma-  
 thiæ beneficîo surrexit. P. Joannes Bapti-  
 sta Castanedi, & P. Gabriel Ferrara Comi-  
 tes ambo primi Viennam advenere; tan-  
 tum operosâ suâ misericordiâ, vitæque  
 sanctimoniam prosecere, ut intra mensum  
 paucorum spatium per Germaniam, ac Po-  
 loniam plura iis conderentur Monasteria.  
 Placuit nimirum sancti hujus instituti cha-  
 ritas, quæ in plurimorum emolumenatum  
 cederet. Voti religione tenentur, quot-  
 quot possunt commodè, reparandæ valetu-  
 dinis causâ ægrotantes succipere, eamque  
 pro viribus curare. Dies omnis varia inter  
 ægrorum obsequia absuntur; nunc preci-  
 bus miseris consulunt, nunc medicamina  
 porrigit, vulneribus malagmata applicant,  
 ad extrema denique mediastinorum mini-  
 steria feso abiciunt. Supplicantium ritu  
 vicibus aliquot ægrorum conclavia obeunt;  
 hortantur præprimis ad peccatorum con-  
 fessionem, solantur piis colloquiis, nihil  
 denique eorum prætermittunt, quæ corpo-  
 ribus, ac ægris animis restaurandis sunt  
 opportuna. Enituit Monasterii hujarum po-  
 tissimum charitas, cum Viennam Turca  
 obsideret; campum hic nauci uberrimum  
 languore, ac vulneribus confectos milites  
 solan-

solandi; strenuè adeò pio operi incubuere, ut animam eos inter labores ponerent non pauci, quos inter F. F. Dominicus, Mathias, Ernestus, P. Carolus, F. F. Mecdardus, Udalricus, Simplicius, Athanasius, Emanuel, Felicianus, Maxentius, quorum postremi duo artis chyrurgicæ peritissimi, egregiæ singuli charitatis. Misérum in modum Annō 1652. ortō vicina in domo incendiō Templum, Monasterium, hospitale conflagrārunt. Ferdinandi verò III. Imper. Munificentia adjuti instaurārunt singula, ut suis rursum charitatis operibus vacare potuerint. Pientissimi Parentis munificentiam August. Leopoldus I. qui postquam spatum ampliando Monasterio concessisset, Annō 1678. Brachium S. Joannis de DEO statuæ argenteæ inclusum, quod donō ab Hispaniæ Regina Leopoldus accepert, adjecit ob odorem etiamnum fragrantem celeberrimum. Præter peccatorum indulgentias altaria septem secundā mensis cuiusvis Dominicā visitantibus obvenientes, atque altare privilegiatum S. Joannis de DEO feriā quavis sextā in defunctorum fidelium solatium, habent hac in Ecclesia fideles pietatis incitamenta Iconem Societatis Sanctiss. JESII MARIÆ, JOSEPH à gratiis frequenter impetratis, atque auctorita-

te firmatis celebrem; magno hæc erat præsidio, cùm lues pestifera grassaretur; binæ præterea aliæ conspiciuntur imagines, Christi Servatoris una, DEI paræ altera; utraque inter flamas servata; particula S. Crucis feriâ sextâ populo currenti porrigitur osculanda. Cæterum sex abhinc annis V. P. F. Macarius Monasterii Prior, Provinciæ etiam aliquando Præses, adeò Monasterii fines ampliavit, ut Religiosorum quinquaginta, ægrorum septuaginta, & amplius capiat.

### Domus, & Ecclesia R. R. P.P. Clericorum Regularium Theatinorum.

**F**undatorem Ecclesia, ac Domus Clericorum Regularium S. Cajetani habuit Eminent. Cardinalem Christianum Augustum Ducem Saxo-Zeizensem tum Ecclesiæ Jaurinensis Episcopum, Annô 1703. qui eorum consuetudine deletabatur, quod adeò paupertatis Studiosos suo pro instituto nösset, ut non modò bona stæbilia possidere, sed & vitæ subsidia petere eis sit interdictum; verum abdicata rerum omnium terrenarum solitudine iis solummodo eleemosynis vicitent, quæ ultro offe-

run-

runtur. Primus Domus Præpositus Reverendissimus P. Joannes Hlozeckh est renunciatus vir Doctrinæ singularis, triginta & amplius annis Pragensis Consistorii membrum. Secuti viri laude omni Clarissimi R. P. Amadæus Hamildon, qui postquam ad Ecclesiæ gremium etiam Serenissimos perduxisset, ad Persas usque procurrit, ab agendi dexteritate, comitate Persarum Regi in amoribus, verus animarum venator, quo encomio Sanctiss. olim Ordinis Fundator celebratur. R. P. Franciscus Lissau; R. P. Weichardus Barbo annis multis facrosanct. Theologiæ Lector, inter pestiferorum demum obsequia defunctus, pari charitate R. P. Czrepiczki direptus. R. P. Maximilianus Miglio Visitator Generalis creatus; R. P. Pööck, Excell. Comit. Kinsky Legatum in Moscoviam comitatus, R. P. Gustavus Rosa Tribunus primùm Augusti Imper. Leopoldi I. dein supremus rei militaris Præfectus in Moscavia, sanctiora demum ad castra transit Divi Cajetani. Nobili omnes oriundi è prosapia virtutem ipsam magis reddunt conspicuam. Ecclesia Honoribus DEIparæ, ac sancti Cajetani dicata particulam S. Crucis, S. Cajetani, S. Andreæ de Avel. venerationi publicæ exponit.

# Monasterium S. MARIÆ Angelorum , vulgò Regium.

**R**egium, & exemptum ad S. MARIAM Angelorum Ordinis S. Claræ cænobium ab Elisabetha Austriaca Maximiliani II. Cæsaris Filia, & Caroli IX. Galliæ Regis Vidua Annô 1581. conditum ; coenptâ cum in usum Caroli Antonii Archi-Ducis, Maximiliani Cæsaris Fratris, aulâ. Septem primùm Moniales Ordinis sanctæ Claræ Monasterium ingressæ Monachio ab Elisabetha accitæ. Annô dein 1582. quintâ Martii in horto, qui ab illustriss. Comite Küenin Sereniss. Elisabethæ gratuitò oblatus fuerat, à Celsiss. Principe Joanne Gasparo Neubeck, tum Episcopo Viennensi Sereniss. Reginâ, cum toto aulico famulatu spectante prima Ecclesiæ jacta sunt, fundamenta ; quæ Annô sequente 2. Augusti ab eodem Cels. S. MARIÆ Angelorum honori est consecrata, & iisdem, quas S. Franciscus in nominis hujus Sacello Assisis consecutus est, Indulgentiis à Sixto V. Rom. Pontifice locupletata. In sacro hujus cænobii thesauro effusus è sacratissimo Christi latere sanguis, qui ei Cæsareâ Eleonorae Ferdinandi III. Imper. Viduae munificètiâ obvenit Annô 1668. singulari reverentia custo.

custoditur, atque è Facultate Celsiss. Principis Philippi Friderici Epis. Vienn. alterā  
 quot annis Mensis Martii sextā feriā publi-  
 co cultui proponitur. Instituta etiam ad  
 augendum sacratissimi Sanguinis cultum  
 Congregatio, quæ etiamnum vigeret sub ti-  
 tulo sacrat. rosei Sanguinis JESU Christi  
 saluberrimis legibus adstricta, amplissimis  
 indulgentiis donata. Præter sanguinem  
 sacrat. magnam S. Crucis particulam Elisabetha  
 adjunxit, quam donō ab August. ge-  
 nitore Maximiliano acceperat. Integer  
 etiam S. Joannis Baptiste index à Sereniss.  
 Regina ex Galliis allatus asservatur. Clas-  
 ret prodigiis imago DEIparæ Matri admirabilis.  
 Hæc ad similitudinem Sanctæ  
 MARIÆ Majoris, ab ipso S. Luca depictæ,  
 efformata, ejusdēmque attactu sacra, ex  
 Gallia item ab Elisabetha Annō 1578. Vien-  
 nam deportata, Annō dein 1592. ex defun-  
 dæ Reginæ conclavi (uti, cùm viveret, à  
 conscientiæ suæ, totiusque Conventūs ar-  
 bitro R. P. Petro Luck, Ord. S. Franc. fieri  
 petuit) ad cœnobium transferebatur, facta è  
 voluntate demortuæ Fundatricis ad Monia-  
 les adhortatione, singulari semper imagi-  
 nem hanc veneratione prosequerentur, sibi-  
 que in certissimum quavis in necessitate re-  
 fugium materno affectu transcriptam memi-  
 nerint.

nerint. Et sanè tum ipsa Regina Sereniss.  
 tum alii complures miram imaginis virtu-  
 tem, promptumque ad sanctissimæ Matris  
 invocationem sensere auxilium. Certè  
 Maximilianus Archi-Dux, Elisabethæ Fra-  
 ter, hoc præsidio è probrofa captivitate,  
 quam occultis malevolorum artibus in Po-  
 lonia perpeſſus est, eruptum se gratus agno-  
 vit. Ubi enim Elisabetha pro fratriſ ſalute  
 ad hanc DEIparæ imaginem preces fude-  
 rat, Mater sanctissima prætensam ab icone  
 dextram orantis Reginæ capiti imponens  
 ita Elisabetham affata dicitur : *Bono ſis ani-  
 mo mea Filia, Frater tuus liberabitur.* Haud  
 ita multò pōst liber Viennam appulit An-  
 nō nempē 1588. prodigiique factus certior  
 in grati animi confeſtationem aræ argento  
 diviti includi fecit. Hodie dum August.  
 Austriacorum Domus in ea Matrem clemen-  
 tissimam experitur ; vivax ceteroquin, ama-  
 bilis adeò, ut omnem pictorum artem fu-  
 peret ; ubi verò Augusta è Domo è vivis  
 decedit quispiam, aut aliud ſinistri evenit,  
 mutatā repente formā pallere, oculisque  
 tumere ajunt. Opem & præsentissimam  
 Maria Magdalena Comes à Monsfeld, fu-  
 prema Archi-Ducum Præfecta fenerat.  
 Decubuerat è Diarrhæa Sereniss. Archi-  
 Dux Maria Antonia, ſubinde Electoris

Ba-

Bavariæ Consors, August. Leopoldi I. Cæsaris Filia periculose adeò, ut ipsi de vita conclamatum medici putârint; simul ùt ad sacram hanc iconem pro salute Sereniss. Archi-Ducis deprecatur Magdalena, valedudini pristinæ restitui cœpit. Votum precibus adjunxit Magdalena in D. Virginis honorem Sacellum construendi. En hīc mirum quid! votum exsoluturæ Comiti obstitit P. Commissarius damnum ambulacro imminens, cui imponendum erat Sacellum, causatus; Verùm evocatis Archi-Tectis locum ostensuri in summo ambulacri tabulato delineatum colore rubeo quadratum facellum conspicunt; compertus nemo, qui interea temporis inibi adfuissest. D. Virginis voluntatem interpretati ad delineati formam facellum construunt; quod tametsi crebris, ac ponderosis in Urbis obsidione globis quateretur, protegente procul dubio DEIparâ, illæsum, ac firmum perstittit. Bina præterea sub imagine hīc loci JESulus dormiens colitur; reliquiæ item S. Christinæ V. M. caput cum ossibus quibusdam S. Elisabethæ Andreæ II. Hungariæ Regis Filiæ; caput item S. Gertrudis Ludovici Thuringiæ Comitis Viduæ; Scapula S. Leopoldi Marchionis Austr. Ad hæc conditum habetur sacrum S. Parthenii

M. corpus ab August. Imper. Leopoldo I.  
Annō 1666. recens electæ Antistitii Mariæ  
Bibianæ è Comitibus à Breuner oblatum  
ea lege , ut reliquiæ hæ sacræ hoc in cæ-  
nobio colantur perpetuò , ne tum ipse, tum  
reliqua August. Domus D. Parthenii patro-  
cinio unquam destituatur. Hujus præpri-  
mis Divi ope post sanct. DEI Matrem se An-  
nō 1683. obsidione Turcica liberatam gra-  
ta etiamnum Vienna profitetur. Ubi 12.  
Septembris Festa S. Parthenii die ad sacrum  
ejusdem corpus diu noctūque singulari cum  
pietate S. hujus Belliducis auxiliuni implor-  
aretur , nocte eādem soluta obsidio , cum  
castris Urbem Turcæ profugi reliquere .  
Ut & de pientissimo Sereniss. Reginæ Eli-  
sabethæ cænobii Fundatricis obitu pauca  
commemoremus , contigit is communī lu-  
ctu 22. Januarii Annō 1592. ætatis Elisabe-  
thæ 38. sepulta absque omni apparatu fu-  
nebri , ut pro insigni demissione ipsa fieri  
postulārat , magnâ omnino sanctimoniac  
opinione. Bienniō post ligneam Christi  
Crucifixi imaginem erētam anteā , occu-  
patō à Turcis Jaurinō , dum 40. horarum  
preces hic persolverentur , Magdalena quæ-  
piam è Gynæceo Elisabethæ crucis stipi-  
tem Reginæ Oratorio , corpus verò ejus-  
dem monumento obvertisse observārat.

Cete-

Cæterum Regium istud cœnobium Pontificum, ac Cœsarum privilegiis adeò exemptum, ut non nisi Reverendissimo totius Ordinis S. Francisci Generali, & Eminent. Cardinali Ordinis Protectori sit subjectum; neque ulli etiam sacerdotalium potestati, praeter August. Imperatorem, subest. Procurabat has immunitates Elisabetha ipsa à Clemente VIII. Pont. Rudolpho II. Cœsare supremum obtestata, ut supremi velut conditores cœnobium à se cœptum protegerent.

**M**onasterium S. Josephi Monialium de Monte Carmelo. S. Clarae Monialium ad S. Nicolaum; Religiosarum Virginum S. Ursulæ.

**T**ria hæc Asceteria §. uno complectimur, quod pleniorum eorum notitiam non habuerimus, quām quæ è vulgaris jam saepius Monasteriorum primordiis colligi poterat. Monasterium S. Josephi ad 7. Libros dictum à domo in usum ædificii comparata nomen traxit. Fundatum est ab Eleonora Ferdinand. II. conjugе August. Primum Monasterii lapidem Eleono-

ta ipsa posuit August. Imperatore, Sere-  
niss. Archi - Ducibus spectantibus Annô  
1633. 22. Octobris. Benedictus lapis ab  
Eminent. Cardinali à Dietrichstein. Inco-  
lunt Monasterium Religiosæ Virgines Or-  
dinis Beatissimæ Virginis de Monte Car-  
melo, cujus honoribus August. Fundatrix  
sacrum voluit. Quæ primæ incoluêre, Ge-  
nuâ partim, partim ex Imperio ( binæ nem-  
pe utrinque ) sunt evocatæ. Adeò huic  
pientissima Imperatrix afficiebatur, ut ad  
aram majorem Ecclesiæ desiderârit se-  
peliri.

Tempellum olim cum domo annexa pue-  
rorum educandorum usui destinata extra  
Urbem positum D. Nicolai erat Monaste-  
rium ; à Reverendis dein P. P. Ordinis S.  
Francisci post dirutum S. Bernardini Mo-  
nasterium habitatum. His verô ad S. Hie-  
ronymum translatis Sanctimoniales Ordi-  
nis S. Claræ successere, Annâ Eleonorâ  
suadente ab Augusto Ferdinando II. Poso-  
niô evocatæ. Templum exiguum Annô  
1651, ac Monasterium ipsæ sibi condidere.

Virgines Religiosæ D. Ursulæ ab August.  
Imper. Vidua Eleonora tertia Ferdinandi III.  
Conjuge Leodiô accitæ sub Annum 1660.  
Viennam pervenere. Dum asceterium iis  
conderetur annis aliquot in domo qua-  
piam

piam Collegio S. Dorotheæ vicina habitârunt. Coëmptis dein in platea à S. Joanne nuncupata domibus aliquot Templum ædificârunt, quod Annô 1675. die 3. Septembris D. Martyris Ursulæ honoribus est consecratum.

Templum S. Michaëlis R. R.  
P. P. Clericorum Regularium S.  
Pauli vulgo Barnabitarum.

**A**ltera in Urbe Paræcia est S. Michaëlis Archangeli. Quinto abhinc seculo à pia quapiam vidua Sacellum D. Michaëlis honoribus exstribebatur, quod Rudolphus III. ac Otto I. Archi-Duces Austriae Alberti I. Rom. Imper. Filii ampliarunt, atque ob singularem fidelium in D. Michaëlem pietatem Paræciam voluere, uti monumenta testantur pervetusta. Minore adhuc forma id erat, dum Albertus V. Archidux cæptum à Rudolpho, & Ottone Templum perfecisset amplius, chorūmque adiecisset. Liquet id è sequentibus charactere antiquo sinistro templi latere descriptis :

„ Annô ab Incarnatione Domini  
„ M. CCCC. XVI. consummatum est opus  
„ ædificationis Altaris, & chori Ecclesiæ

S. Mi-

„S. Michaëlis Archangeli, tunc temporis  
 „regnante Illustrissimo Principe, ac Domino  
 „gratiosissimo DEI gratiâ Duce Austriae,  
 „Styriae, & Carinthiae, Comitique Tyro-  
 „lis, & ob ejusdem gratiosæ impetrationis  
 „implementum consecratus est præsens  
 „chorus unà cum Altari, & Ecclesia totalis  
 „cum cæmeterio ex novo dignè reconciliata  
 „per Reverendissimum Patrem in Christo, & Dominum, Dominum Georgium  
 „DEI, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopum Passavensem, qui sua ex gratia com-  
 „mutavit festum Dedicationis Ecclesiarum pro-  
 „pter rationabiles causas, quod priùs celebratum est annuatim Dominicâ proximè  
 „Festum S. Michaëlis Principis, in Domini-  
 „cam primam post Festum Corporis Christi  
 „perpetuò postea duraturum. Facta est  
 „hæc consecratio pridie nonas Aprilis die  
 „Dominicâ, qua cantatum fuit Judica Do-  
 „mine in honore Sanctissimæ, & Indivi-  
 „duæ Trinitatis, & in honore B. M. V. &  
 „præcipue in honore S. Michaëlis Archan-  
 „geli, & omnium Angelorum. Continen-  
 „tur autem in hoc Altari præcipue omnes  
 „reliquiæ pristinæ, quæ nunquam apertæ  
 „sunt per Dominum nostrum Gratiosissi-  
 „mum Episcopum, qui aperire recusavit;  
 „sed reliquiæ ex novo per ejusdem gratiam

III-

„impositæ sunt hæ. I. de ligno S. Crucis,  
 „de lacte gloriostæ V. M. Item S. Joannis  
 „Baptistæ, S. S. Petri & Pauli Apost. S. An-  
 „dreæ Apost. S. Matthæi Apost. & Evang.  
 „S. Marci Evang. Item Barthol. Apost.  
 „Stephani Proto - Mart. Georgii Mart. S.S.  
 „Cosmæ, & Damiani, Primi, & Feliciani,  
 „Colomani Mart. Nicolai Confess. de Tum-  
 „ba S. Nicolai. Item Catharinæ Virg. de  
 „sepulchro ejusdem. Item Margarithæ  
 „Virg. Item Mariæ Magdalenæ, Elisabe-  
 „thæ Reginæ, Item Balburgæ. Item de  
 „ossibus undecim millium Virginum. Item  
 „Christinæ Virg.

Comissa paræcia Ecclesiasticis, Decano  
 nempe, & tribus Capellaniis ad unum usque  
 1626. quo à Ferdinando II. (jus enim Pa-  
 tronatûs penes Cæsarem est) præsentati  
 sunt RR. PP. Clerici Regulares Congregatio-  
 nis S. Pauli Apostoli Româ ceu præsidium  
 adversus hæresim per Eminent. Cardinalem  
 Ernestum ab Harrach expediti à S. Congre-  
 gatione de propaganda fide. Ab Eminent.  
 Cardin. Vienn. Episcop. Melchiore Kleffe-  
 lio 4. Maii collata Paræcia solenni ritu, post-  
 quam A. R. D. Martinus Sebaldo Decanus,  
 & Parochus Templi hujus suo se jure abdi-  
 casset ; qui Tulnæ Decanus est renuntiatus.  
 Primi, qui Parochiali munere sacro hoc è  
 cætu

cætu fungebantur, erant RR. PP. Don Florius Cremona, Don Venustus de Venustis; quibus se mox junxere operarii strenui, qui vineam Domini magna cum laude excoluerunt; ac præprimis Don Florentius Schiling, qui 37. Annis pro concione dixerat magno cum animarum emolumento. Conciones ejusdem typis vulgatae hodie dum celebantur. Meliorem exinde Templum formam induit. Viginti omnino, & una minores quidem aræ collatæ antea, quæ quantum sibi deposcebant spatii, tantum affluent populo detrahebant; itaque è consensu August. Ferdinandi II. & III. ad quindecim, sed specie augustiore, redactæ sunt. Ara præterea summa commodiore loco collacata; ad quam, quemadmodum in perpetuum beneficij memoriam Alberto V. extat monumentum, ita adversa ex parte August. benefactoribus aliud RR. PP. posuere:

Ferdinandus II. Rom. Imperator S. A.

Ad S. Michaëlis Templum

Cujus Austriaca Domus jus Patronatū à  
sæculis gessit

Congregationem Cleric. Regular. S. Pauli

Ad Divini cultus augmentum, ac Cath.  
fid. propagationem

Melchiori Card. Kleffelio Vienn, Epis.  
præsentatam

II.

Institui voluit Annō M. DC. XXVI. die  
XVI. Maii.

Atque Eccles. jam reflorenti decoro restituta  
Summóque Altari illibato commodius  
translato

Novis immortalis Laureæ felicibus  
Auspiciis

Ferdinandi III. Austriac. Cæsarum XIII. Co-  
ronationis die 30. Decemb. 1636.

Augustissimis Benefactoribus grati animi  
monumentum  
Exultantes P. Patres.

Dignum memoriâ tabernaculum accessit,  
à pretio, venustate prorsus singulare, cuius  
utroque è latere approbatæ ab ordinario  
extant reliquiæ: Caput S. Aurelii, caput S.  
Valerii Regis Hispan. & avunculi S. Ursulæ.  
Offa S. Evodii, Lini Pap. & M. ex Societate  
S. Ursulæ, Aniani, Feliciani, Aureliæ, Vi-  
ctoriæ, Offrii, Faustini MM. Item SS. Con-  
stantii, Justini, Marcellini, Simonis, Cy-  
rilli, Valentini, Beinii, Apolloniæ, For-  
tunatæ, & ex societate S. Geronis MM.  
Aliæ item reliquiæ Sanctorum festis solen-  
nioribus exponuntur: S. Clementis, Vin-  
centii, Felicis, Constantiæ, Peregrinæ,  
Adauerti, Benigni, Fausti, Lucii, Hyacin-  
thi, Maximi, Venerandæ, Clementiæ,  
Mauritiæ, Stephani, Angeli. Inter festa so-  
lem-

lemnia apparatu singulari festum Expectationis Partus, Fundatrice Augusta Imper. Eleonora Leopoldi I. Conjuge, celebratur. Ad aram nunc progredimur, quæ à prodigiosa imagine Mariæ de Candia, celebris. Hæc olim in Insula Candia D. Nicolai Templo venerationi publicæ exponebatur; Ubi Turcæ hanc Insulam, Venetorum olim, occupassent, profugos inter Sacerdos quispiam, ne quid Sacrilegum auderent Turcæ, imaginem eripuit, ac Armorum Cæsareanorum Præfecto Kielmanseck dono dedit, qui ut venerationem majorem eidem conciliaret, RR. PP. Barnabitis tradidit custodiendam. Haud ita multò pōst prodigiis claruit. Annō 1679. R. P. Don Casimirus Demski pestiferorum obsequiis destinatus lue funesta & ipse corripitur; munitus jam sacris præfidiis ad agonem singulari fiducia B. V. de Candia, ejusdémque præsidio se commisit. Visus sibi in somnis DEI parām sanctos inter Rochum, & Sebastianum medium conspicere, hortarique, psalmos à D. Bonaventura suum in honorem compositos recitaret, cui dum obsequitur, sanus, incolumisque stupentibus omnibus repente evigilat. Approbatum à loco ordinario prodigium magnam exinde fidelium venerationem DEI paræ conciliavit. Altera item

in

In Deiparæ imagine à Vesperis dicta, magnum  
adversus calamitates quasvis præsidium,  
puerperæ præcipue, fideles experiuntur.  
Inter Sodalitates Hispánicam nempe, Gratiæ  
DEI, Angelorum antiquissima, SS. Eucha-  
ristiæ, ipsa penè cum Ecclesia suam ducit  
originem amplissimis Privilegiis est donata,  
Nihil denique, quod ad provocandam fi-  
delium pietatem valere, ut deesset, con-  
structum organum, cui aliud per Urbem  
conferendum est nullum,

Coloniæ hinc duæ sunt ad Mariam  
Auxiliatricem. Cæmeteriō caruerat Paræ-  
cia S. Michaëlis. Hinc vinea Annō 1660,  
eum in usum redempta; ut sacrum magis  
locum referret, Sacellum in piè defunctorum  
solatium exstructum est, in eoque cla-  
rissima modò à favoribus B. V. Auxiliatri-  
cis imago collocata. Ne quid Turcæ Ur-  
bem obsidentes Annō 1683. In DEIParam  
perpetrarent, tutiorem in locum ad S. Mi-  
chaëlis nempe Ecclesiam translata est; in-  
de verò An. 1689. apparatu magnifico, pro-  
curante id potissimum Cels. Principe Paulo  
Esterhasy Palatino Hungariæ, suam in sta-  
tionem reposita. Tantum fidelium in  
DEIParam pietas legatorum, donorumque  
contulit, ut Magnificam in Ecclesiam ap-  
paratu omni eleganter instructam Sacellum

transierit. Curantur Divina omnia soler-  
tissimè, instituta Sodalitas B. V. Auxilia-  
tricis à Clemente XI. confirmata An-  
nò 1703. & privilegiis donata.

### Monasteria R.R. P.P. B. V. de Monte Carmelo Calceatorum.

**E**Um aliquando locum obtinuere, uti  
referemus, R.R. P.P. de Monte Car-  
melo Calceati, quem modo Domus Pro-  
fessorum S. J. occupat. Viennam denuo An-  
nò 1661. redière coëmptisque domibus  
aliquot Templum, ac Monasterium sibi  
rursum condidérunt primum ejus lapidem  
ponente August. Josepho I. Rom. ac Hun-  
gar. Rege Annò 1687. Utrumque modò  
ad omnem elegantiam instructum 50. Reli-  
giosorum alit; dicatum Templum S. Jose-  
phi honoribus imaginem S. Mariæ Majoris  
fidelium venerationi, & solatio proponit.  
Summò studiò Archi-Confraternitas Sca-  
pularis hīc suas partes obit è viris sexcen-  
tis, sexcentis item mulieribus conflata, pro  
quibus singulis post obitum præter solen-  
ne decantatum Requiem 40. Missæ sacri-  
ficia haberi consuevère. Viget & altera-  
Sodalitas sub titulo JESU, MARIAE, JO-  
SEPH; utraque Altari privilegiato cele-  
bris;

bris ; in prioris quidem diebus singulis,  
posterioris feriâ quavis secundâ liberari è  
piacularibus flammis fidelium animæ pos-  
sunt. Inter Sanctorum reliquias S. Alber-  
ti Ordinis sui, S. Item Magdalena de Paz-  
zis præcipue venerantur.

Monasterium R.R.P.P.B.V.  
de Monte Carmelo Discalcea-  
torum.

**M**onasterium, Templumque R.R.P.P.  
de Monte Carmelo Discalceatorum  
August. Rom. Imper. Ferdinandum II. Fun-  
datorem natum est. Ductus is præcipue  
affectu tenerimo in R. P. Dominicum à  
JESU MARIA, cuius interpositis apud  
DEUM precibus relatam adversùs Frideri-  
cum Comitem Palatinum Viatoriam prope  
Pragam in albo Monte Annô 1620. Ferdi-  
nandus tribuit. Obiit P. dominicus ma-  
gna Sanctimonie opinione, ejus corpus ad  
aram Templi majorem conditum. Fre-  
quens ejus habetur memoria à Divæ Vir-  
ginis imagine, quam cùm à cordibus vin-  
dicaret, inclinato capite gratias sibi reponi  
Dominicus audierat, inque vicem obsequii  
amplissimorum favorum sponsonem recepit.  
Delata post ejus obitum imago August.

F 3

Fer-

Ferdinando II. ejusdémque Aug. Conjugi Eleonoræ, magna semper veneratione, ac pretio habita. Ab utriusque excessu rufus R.R. P.P. reddita gratias uberrimas suis Clientibus impertittur. Floret & hic Soda-litas S. Scapularis; Sancti item Nutritii Josephi, cuius Festum singulari apatatu, & pietate obitum; S. item Theresiae, Joannis à Cruce, quorum reliquiæ sacræ hac in Ecclesia quiescunt. Hæc erant, quæ de utroque Monasterio comperimus.

## Collegium Canonicorum Regularium S. Augustini ad S. Dorotheam.

**T**emplum S. Dorotheæ ab Alberto III. Archi-Duce Austriae cæptum Rudolphus IV. Alberti Filius absolvit. Consecratum Annò 1360. à Georgio Passavensi Episcopo SS. Dorotheæ, Catharinæ, SS. Apostolorum, & Archangelorum honori, quatuor, & quinquaginta Annorum spatiō Clerici sacerulares, privatum utpote beneficium, coluere; supremūm Andreas Planck, Parochus in Görs, Alberti IV. Cancellerius administrabat. Eo affectu in D. Augustini Canonicos Andreas ferebatur, ut Templum D. Dorotheæ in Canonicorum Colle-

Collegium immutari cuperet ; enixis pre-  
cibus ab Alberto effagitārat , viros ut à vir-  
tute , scientiā Clarissimos accerseret aliunde ,  
stabilēmque iis sedem indulgeret . An-  
nuit desiderio Albertus , domus aliquot  
Templo adfitas redemit , quas deinceps in-  
colerent . Tres Thirnsteinio , Āgydius  
nempe , Anselmus , Andreas , duo ex S Hip-  
polyti Canonia Erhardus , & Joannes sub-  
missi sub Annū 1414 . ē quibus Āgydius  
dignus præ cæteris habitus , qui recenti  
Collegio Præpositus præfesset . Domus ve-  
teres in meliorem Collegii formam Alber-  
tus laborabat redigere , privilegiis etiam  
munivit amplissimis ; quin structuram ab-  
solveret , mors impedivit ; reservatum id  
Alberto V. hujus nominis Rom. Imper. qui  
perfectis jam ædibus redditus etiam amplio-  
res addixit Annō 1423 . Accessere & alii in  
Canoniam hanc benefici liberaliter adeo ,  
ut à quinto ad vigesimum paulo pōst ex-  
creverit Canonicorum numerus . Nunquam  
non in amoribus Alberti successoribus erat  
Canonia ; Templum inde aulicum Frideri-  
cus parabat , anteriorem jam Ecclesiæ par-  
tem elegantiore in formam orsus redi-  
gere . Ferdinandus I. ē consensu Romani  
Pontificis fundato à se recens Episcopatu  
Viennensi , Passaviensis ordinarii potestati

Canoniam exemit, Viennensi deinceps  
voluit subesse. Fœcundum semper viris  
celeberrimis S. Dorotheæ Collegium Late-  
ranensi adscriptum, ut alienis etiam à Col-  
legiis inde Præpositi postularentur, Thirn-  
steinum quidem Reverendissimus D. Ma-  
thias Schrekeysen, primus ibidem mitratus  
Præsul, Reverendiss. D. Balthasar Puechseer,  
Reverendiss. D. Andreas Faber, Reverendiss.  
D. Godefridus ab Haslingen, ad S. An-  
dreas verò Annō 1599. Reverendiss. D.  
Christophorus Gayl; ductæ hinc integræ  
Coloniæ in Canoniam Rottenmanensem  
in Styria inchoatam; huic verò Collegio,  
deserto Episcopatu Chiemseensi, se Reve-  
rendiss. D. Ludovicus Schenebner inseruit.  
Quotquot denique Canoniam rexerunt  
Præpositi, tot singularia numerat ornamen-  
ta; lubeat eorundem retexere Catalogum,  
quantum quidem comperire licuit,

1. Reverendiss. D. Ægydius AA. LL. &  
Phil. Doctor Professus Thirnstein. Spe-  
ctatae Virtutis, & Doctrinæ.
2. Reverendiss. D. Andreas Professus Thirn-  
stein.
3. Reverendiss. D. Henricus ad S. Doroth.  
Professus, vir egregiè doctus, subinde  
Poëticâ laureâ donatus.

4. Re-

4. Reverendiss. D. Nicolaus de Corona vir Doctissimus Academiæ Viennensis Visitator.
5. Reverendiss. D. Stephanus J. U. D.
6. Reverendiss. D. Gregorius Prunhofer, Inclyt. Statuum Infer. Austriae Deputatus.
7. Reverendiss. D. Sigismundus Kuglperger Inclyt. Statuum Infer. Austr. Deputatus Bibliothecam condidit, senio demum confectus suo se munere abdicavit.
8. Reverendiss. D. Bernardus Aurifaber.
9. Reverendiss. D. Hieronymus Schmidl, qui ultrò Præpositi dignitate decepsit.
10. Reverendiss. D. Franciscus Püchler, Tyrolensis, Statuum Inclyt. Infer. Austriae Deputatus, laboribus demum, senioque confectus ultrò regendam alteri Canoniā reliquit.
11. Reverendissimus D. Joannes Albinus, qui adeò prudentiâ, pietate excelluit, ut quamvis domi suæ haberent S. Dorotheæ Canonici viros muneri huic sustinendo aptissimos, è Canonia Clauistro - Neoburgensi postularetur. Inclyt. Statuum Infer. Austr. Deputatus.
12. Reverendiss. D Clemens Staffelsteiner, ob doctrinam singularem, virtutemque

- Pio IV. Pontifici summo in amoribus;  
primus Præpositorum Pii Pont. auctori-  
tate usus Pontificalibus.
13. Reverendiss. D. Gallus Mayer, morte  
præmaturā direptus, ne integrō quidem  
annō præfuit.
14. Reverendiss. D. Georgius Karstner, invi-  
tus ob animi demissionem singularem eli-  
gentium annuit desiderio, pōst ultrō se  
abdicavit.
15. Reverendiss. D. Georgius Prenner, Car-  
niolus Labac. Maximiliani II. Rom. Imp.  
Eleemosynarius, Inclyt. Statuum Infer.  
Austriæ Deputatus, postquam Canoniam  
hanc rexisset sexenniō, Ducum-burgum  
ad Præpositi dignitatem postulatus, obiit  
ibidem annō 1590.
16. Reverendiss. D. Martinus Radwiger, Car-  
niolus, Inclyt. Statuum Infer. Austriæ De-  
putatus, ad regendam demū Ecclesiam  
Neostadiensem Episcopus evocatur; sin-  
gularem hunc Societas JESU veneratur  
benefactorem.
17. Reverendiss. D. Christophorus Thütt,  
Austr. Vienn. postquam annis sex, & vi-  
ginti gubernāsse, seniō confectus resig-  
navit munus Præpositi.
18. Reverendiss. D. Andreas Mosmiller, Ba-  
varus, Claustro-Neoburgi Professus, ibi-  
dēm-

- démque Decanus ob regendi dexteritatem inde postulatus, repetitus à suis Canoniam utramque summâ laude, & emolumētō rexīt. Inclyt. Stat. Infer. Austr. Deputatus.
19. Reverendiss. D. Hieronymus Künig, Austr. Vien. vir mansuetissimus, à suis ut pater dilectus.
  20. Reverendiss. D. David Künig, non tam sanguinis conjunctione, quām virtute Hieronymi Germanus obiit 1642.
  21. Reverendiss. D. Jacobus Nirnberger, à pietate in Deiparam celebris, tribus indies & amplius horis ad ejusdem imaginem prostratus precabatur, lachrymis crebrò diffluens; ut D. Virginis honorem promoveret concentum Musicum, Missam quotidianam fundavit.
  22. Reverendiss. D. Ferdinandus Soyer, Aust. Vien. ex concionatore zelosissimo Præpositus obiit anno 1670.
  23. Reverendiss. D. Hieronymus Hayden, Austr. Vien. S.S. Theol. Doctor, S.C.M. Consiliarius, bis Antiq. & Celeb. Universitatis Rector Magnificus, Inclyt. Statuum Infer. Austr. primū Deputatus, dein Oeconomus perpetuus. Alter propè Fundator audiit ob rem oeconomicam egregiè administratam, Collegium ad elegantiam omnem,

omnem, commoditatēmque ædificatum;  
studiorum fautor eximius, obiit an. 1698.

**24.** Reverendiss. D. Ferdinandus Noltheius,  
Austr. Vien. A.A. L.L. & Phil. Doctor,  
S. C. Maj. Consiliarius, Inclyt. Statuum  
Infer. Austr. Deputatus, tertiam etiam vice  
Antiq. & Celeb. Universitatis Rector Ma-  
gnificus, ad hodiernum splendorem Eccle-  
siam excoluit, obiit anno 1712.

**25.** Reverendiss Perillustris, ac Amplissimus  
D. D. Ferdinandus Adler, S. C. M. Con-  
siliarius, Inclyt. Statuum Infer. Austriæ  
Deputatus auctualis, vivum ipse sibi virtu-  
tis, doctrinæ, agendique dexteritatis elo-  
gium longè amplissimum.

Non Præpositos modò, sed & reliquo è  
cætu omni laudis genere conspicuos Colle-  
gium S. Dorotheæ habet incolas, tres pur-  
purâ Theologicâ ornatos, eo honore di-  
gnissimos complures etiamnum. Inter be-  
nefactores numerat præcipue post August.  
Domum Austriacam Reverendissimum D.  
Ludovicum Schenebner, Episcopum Chi-  
embensem anteà, pòst ad S. Dorotheam  
Canonicum, uti memoravimus; Reveren-  
diffimos Episcopos Passavienses, Illust. D.D.  
Comites de Salm, è quibus Nicolao ob  
præclara in Rempublicain merita illustre  
Mausæolum Ferdinandus I. confui curârat;  
Illust.

Illustr. D. Leonardum de Krueg, Alberti II.  
Imper. aulæ Præfectum. Illustr. D. Com. à  
Nogarolis, Illustr. D. L.B. Carolum ab Her-  
monstein; Illustr. D. Christophorum à Pue-  
chaimb, Illustr. D. Eusebium L. B. à Khuen,  
quorum plerique in Canoniae hujus Templo  
sepulti. Ecclesia ab arte, pretio, elegan-  
tia celeberrima Sacras S.S. Josinii, & Jonisii  
Reliquias venerationi publicæ exponit.

## Monasterium R.R.P.P. Eremi- tarum S. Augustini in Via Regia ad S.S. Sebastianum, & Rochum.

**U**T voti sponsione, quo se obstrinxerat,  
Ferdinandus III. Rom. Imp. se solve-  
ret, Annô 1642. S.S. Rochi, & Sebastiani  
honoribus Templum, ac Monasterium cæ-  
perat; spatiō prorsus exiguo calamitates  
plurimas perpeſsum; Annô 1656. incendiō  
horribili propè totum conflagravit. Dum  
restaurare R.R. P.P. Annô 1681. parabant,  
mox à Turcis urbem obsidentibus rursus est  
dirutum; exinde verò curâ, ac solicitudine  
A. R. P. Ferdinandi Hanisch S.S. Theol. Do-  
ctoris, ac Prioris Monasterii ædificium to-  
tum illustrius longè, ac unquam fuerat an-  
teà, redditum. Viris à doctrina spectatis  
haud unquam caruit; numerat complures  
Theo-

Theologicâ purpurâ decoratos, ejusdémque  
 Inclytæ Facultatis in Antiq. & Celeb. Uni-  
 versitate membra, quin ordinarium in mo-  
 ralibus in eadem Professorem. Templum  
 quod attinet, ab insignibus Divorum reli-  
 quiis aurô, argentô, gemmisque ornatis ce-  
 lebratur; habet particulam S. Crucis; San-  
 guinis, qui è brachio S. Nicolai Tolentini  
 promanavit; binas item particulas majores  
 S. Ordinis Fundatoris Augustini, ejusdém-  
 que S. Matris Monicæ; dentem S. Apollo-  
 niæ; jaculum, quô confixus S. Sebastianus;  
 Altaria privilegiata præterea plura; Soda-  
 litates; S. Rochi Annô 1677. ab Innocen-  
 tio XI. confirmatam; B. V. Consolatrixis,  
 cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ à Gre-  
 gorio XIII. Gregorio XIV, Clemente VIII.  
 amplissimis privilegiis donatam, à Clemen-  
 te X. confirmatam; item Sodalitatem aliam  
 in solatium Fidelium defunctorum sub pa-  
 trocinio S. Nicolai Tolentini Annô 1715,  
 à Clemente XI. confirmatam,

Monasterium R.R. P.P. Prædi-  
 catorum Ordinis S. Dominici ad  
 S. Mariam Rotundam,

**E**RUNT non pauca, quæ de celeberrimo  
 hoc Monasterio S. Mariæ Rotundæ re-  
 latu

latu dignissima , non nisi paucula tamen nobis , s̄epiūsque vulgata innotuēre . A Leopoldo V. Austriae Duce , teste Lazio , in usum Templariorum Templum istud erectum , ubi victoriis ex hostium spoliis clarus ex Asia , Richardi præterea Anglorum Regis mulctā ditatus esset egregiè Annō 1190 . Pulsis Templariis Leopoldus VIII. Archidux Austriae Venerabilis Prædicatorum Ordinis Religiosis Annō 1325. concessit . Diturum rursus Annō 1529. cùm Viennam Solymannus obsideret . Instauratum à Ferdinandō I. Rom. Imp. ab August. demum Ferdinandō III. novum omnino è fundamentis Templum ædificari cæptum Annō 1631. primum ejusdem lapidem ponente Ferdinandō . Bibliothecam celeberrimam Illustr. D. S. R. I. Comes Joachimus de Windhag adjecit Monasterio eā lege , ut quatuor indies horis , demptis festis , ac vacationum diebus , pateret omnibus . Altera novissimè ab Excel. D. Com. Martino Veterano Gschwindt , S. M. Campi - Mareschallo Bellico , in usus pariter publicos destinata accessit . Decus maximum Monasterio à scientiis severioribus , atque à virisj omni scientiarum laude semper florentibus accedit . Publicam approbationem in Aula Academica ferunt crebrius ; in Sacras litteras è celeb. Mona-

ste-

sterio Professor publicus commentatur subtilissimè, testimonium sapientiæ facit amplissimum purpura Theologica compluribus collata. Præter cætera festorum solemnia sacræ Deiparæ dies apparatu singulari celebrantur à Sodalibus potissimum S. Rosarii, quæ Sodalitas uti à prærogativis, Privilegiis, ita à Sodalium piorum numero celeberrima.

## Academicum Societatis JESU Collegium.

**S**TATUERAT jam antea Serenissimus Rom. Rex Ferdinandus ad reprimendum potissimum hæresis furorem JESU Socios Viennam evocare, ubi verò sub Annū 1550. Augustæ Imperii Comitiis interesset adeò R. P. Claudii Jaii, è primis decem Ignatii Sociis, alloquiō in sententia obsfirmatus, ut litteras illicò ad S. Ordinis Fundatorem dederit, quibus ad expurgandámque, collendámque Domini vineam operarios aliquot mittendos postulabat. Annō igitur 1551. Mense Aprili undecim è suis Ignatius deligit humanioribus juxtā in litteris, ac disciplinis severioribus egregiè versatos, qui Serenissimi Regis voluntatem pro virili explerent. Ductu P. Nicolai Lanoyi Mense Mayo Viennam pervenere. Excepti benevolè

volè Sereniss. à Rege ; recreatus præcipue  
 Patrum adventu Reverendiss. Urbanus Epi-  
 scopus Labac., Regi Sereniss. à confessio-  
 nibus , qui , ut evocarentur Patres haud  
 parùm operæ contulerat ; distribuit eos con-  
 tinuò per hospitia , domi suæ alimenta sup-  
 peditavit. Actum dein Sereniss. Regis jus-  
 su cum R. R. P. P. Prædicatoribus , partem  
 Monasterii , sumptibus Regiis restaurandam  
 Sociorum usui relinquerent , quam paucis  
 post diebus occuparunt. Evocati præterea  
 Anno insequenti à Ferdinando Ingolstadiô  
 P. P. Petrus Canisius , & Nicolaus Gaudo-  
 nus ; primus ad populum conciones habe-  
 re jussus , alteri secunda Theologiæ Scho-  
 lasticæ lectio collata , ceteri erudiendæ po-  
 litioribus litteris juventuti , fidei Ortho-  
 doxæ promovendæ strenuè operam dabant ;  
 læta hæc primordia P. Claudii Jaji obitus  
 funestavit ; funus è P. P. Prædicatorum  
 cœnobio in D. Nicolai ædem elatum in tem-  
 pli medio conditum est. Postquam integrum  
 pene triennium ad S. Mariam Rotundam  
 Patres exegissent , ad incolendum Carme-  
 litarum Monasterium Regis Serenissimi , ac  
 Summi Pontificis auctoritate Annô 1554.  
 transiere. Adeò exinde infestos sibi he-  
 terodoxi JESU Socios experti , ut in belli  
 sustinendi præsidium conferre quidquam se

G

velle

Velle negarent, nisi hos finibus suis Cæsar arceret. Unius P. Georgii Scherer operâ, ubi concionibus aulicis fidei controversias diluit, centum, & amplius vix Anni dimidii spatiô Augustanam Confessionem ejus rârunt. Nec segnius studiorum ardor promovebatur; ut æquò parùm oculô confluentium privatas ad Scholas adolescentum numerum respicerent non nulli. Collocatum laboris plurimum in instituenda convictorum juventute; condita sub Annum 1573. D. Barbaræ Sodalitas tantô Gregorii XIII. solatiô, ut non confirmârit modò, donârîtque prærogativis singularibus, verùm alumnos 24. decreverit attributa pensione annua ibidem alendos. Felices adeò in juventute instituenda progressus August. Imp. Ferdinandum II, permovere, ut Universitati uniendum Societatis JESU Collegium censuerit datis ea super re ad Universitatem litteris, quibus pro sua id potestate imperabat; præstitum id Annô 1622. 16. Novembribus amica utrinque compositione. Annô infrequentí veteri in foro Aulico Collegio Patrum Societatis Coloniae in apparatus pro novo Collegio ædes traducta; templi vices obibat Sacellum vetus Collegii grassante hæresi in tabularii usum conversum; Annô verò 1625. cum sacri dômîciliî for-

formam jam ædes veteres præseferrent, ex integro commigrarunt P. P. Surrexerat interea è veterum domorum ruderibus novam in formam cum Collegio Ecclesia ; Annō 1631. ab Eminent. Cardinali Dietricho Steinio spectante sacros ritus August. ipso Cæsare Clementissimo Collegii, Templique Fundatore cum Aula universa , est consecrata post Paschæ ferias. Eo ex tempore conabantur Patres ea omnia , quæ facere ad promovendum Divinum obsequium , sa- lute in alienam , litterarumque incrementum possent. Præter Divorum reliquias in D Xaverii Sacello imago DEIparæ afferatur, quæ jani Occidentalibus olim in Indiis claruisse prodigijs perhibetur; inde ve- rò in Hispaniam primū , ad August. dein Imperatricem Mariam Hispaniæ Infantem Ferdithandi III. conjugem delata. Hæres sacri hujus thesauri scripta Catharina Co- mes à Wallenstein , hæc verò suum sub obitum P. Francisco Menegatti, August. Leo- poldo I. à Confessionibus , ea lege detulit, publico ut cultui exponeretur. Præsidium senserunt maximum adolescentum plurimi , seu in litteris progressum , seu servandæ in- tegrity auxilium flagitarent. Sodalitates studiosæ è juventute conflatae tres , sub Af- sumptæ prima , sive labe Conceptæ altera ,

tertia Purificatæ Virginis patrocinio; major Sodalitas id præ cæteris prærogativæ habet, quod Rectoris Mariani munere is fungatur potissimum, qui Antiquiss. & Celeb. Universitati ea tempestate Rector præst Magnificus.

## Domus Professorum Soc. JESU & Domus Probationis ejusdem Societatis ad S. Annam.

**D**omus hæc aliquando, utim me inimus, R. R. P. P. de Monte Carmelo erat Monasterium; dein Authoritate Pontificiâ & Cæsareâ P. P. Soc. traditum. Ædes parùm compositæ, ruinæque proximæ iis solùm muris definiebantur, qui hodie dum domus aream respiciunt; pars reliqua à Societatis hominibus subinde adjecta est. In Collegium, Gymnasiūmque Cœnobium migrâsse diximus. Ubi verò Ferdinando II. Imperante, Cæsare in Societatem munificentissimo, Annô 1625. Collegium in Academiam cum fundatione omni translatum, in Professorum domum permutatum est, cuius incolæ deinceps non carerent modò redditibus, bonisque stabilibus, sed ne admittere quidem possent, corrogatis solùm eleemosynis vicitarent. Datum ini-

initium 12. Maji; primus Domui Præpositus R. P. Raphaël Cobenzel præficitur, nuper Græcii Rektoris munere defunctus; eadem adhuc die saccô is albô humeris impositô Urbem obibat ostiatim ad quinque, & quadraginta Sociorum sustentandos eleemosynam emendicans; ubivis munificen-  
tiam expertus Viennensium Magistratûs cum primis civici, cuius insigni in Societatem beneficentia 600. floreni eleemosynæ nomine in annos singulos sunt constituti. Tametsi sub Professorum Domus initium provincialia agerentur comitia, nihil ta-  
men, quod aut advenarum, aut domestico-  
rum necessitati, commoditatique defo-  
ret, est desideratum. Ea DEI Domui huic prospicientis est benignitas, ut septem su-  
pra quadraginta incolas cum hospitibus un-  
dequaque confluentibus, piis solummodo largitionibus, alat. Primum ab August. Fun-  
datore benefactorem sibi addictissimum Do-  
mus memorat Eminent. Cardin. Franciscum à Dietrichstein, qui sub primæ Congrega-  
tionis Provincialis initium congregatis Pa-  
tribus præter annonæ copiam imperiales centum submisit. Dum grates pro insigni  
beneficio à Domus Præposito persolveban-  
tur, annuam ad hæc 1200. florenorum ele-  
mosynam attribuit, curru equis quatuor

juncto in quotidianos Domus usus addito.  
 Nec hic quidem stetit piissimi Principis be-  
 nevolentia; verni potissimum jejunii tem-  
 pore egestati consuluit liberalissime. Au-  
 xit annis consequentibus benefactorum nu-  
 merum Serenissimus, & Reverendissimus  
 Leopoldus Guilielmus Munificentiam in So-  
 cietatem Augusti Parentis pie æmulatus,  
 Eminent. Cardin. Klesselius, Illustriss. D.  
 Comes Wenceslaus à Dietrichstein. Re-  
 ferre esset longissimum benefactorum Cata-  
 logum, qui præter August. Austriacorum  
 Domum nunquam non beneficam, Domus  
 egestatem sublevârunt, atque etiamnum  
 sublevant. Nec Patrum pii defuere cona-  
 tus, quibus benefactoribus, pro instituti-  
 sui ratione, se se gratos impenderent. De-  
 fudatum cum primis in re Christiana stren-  
 uè promovenda, hæresique profliganda.  
 Nec minori cura peste laborantibus subve-  
 nire, qua charitate id quidem effectum,  
 ut horrerent Socios minus hæretici, atque  
 etiam cum Catholicis ad præstanda supre-  
 ma morientibus obsequia Patres accerse-  
 rent. Suspexit & Patrum Zelum Magistra-  
 tus Viennensis, ut civium periclitantium  
 saluti perspiceret, sex Sociorum paria per  
 totidem Urbis templo distribuit, qui con-  
 vocatis opificum tribubus fidei Orthodoxæ

in-

integritatem edocerent. Tantum hæc valuit industria, ut mensium aliquot spatiō 1139. unā cum octo Hebraicæ legis seftatoribus Ecclesiæ gremio sint inserti. Exturbati item Annō 1625. ē vico proximo Ernhals dicto, Ministri hæretici, quorum in locum Cæsaris auctoritate P. Joannes L<sup>o</sup> Abbe Societatis Sacerdos suffecitus; cùm die D. Bartholomæo sacra ad confertissimum populum pro concione diceret, suppositi ab hæreticis sacrī ædibūs ignes, DEO tamen favente, illico restincti; protracti pariter ē variis Urbis latebris Patrum precibus, qui doctrinā sinistrā juventutem corruperant. A ceteris verò sociis inter ardua ea tempora toto anni decursu exceptæ peccatorum confessiones quadragies mille, quadringenitæ, sexaginta novem, vitæ totius non paucæ. Memoria singulari dignus Valentinus Pirnstill, celeberrimus Austriæ Inferioris Prædicans, vir dicens peritus, & apprimè doctus, à plurisque Austriæ utriusque Nobilibus in conscientiæ arbitrum delectus; hic Annō 1626. festa D. Thomæ die Patrum operā in sacra hujus Domicilii æde hæresim, quam Laureaci, Freystadii, Lincii, Hor næ magno suorum accursu docuerat, in frequentissima suorum olim Auditorum.

corona ejuravit, adeoque feliciter errorem dedocuit, ut viri, matronæque nobiles exemplum hoc sint secuti. Accesit præter ordinis inferioris plurimos Anno in sequenti Illustriss. Joannes Ludovicus Comes Nassovius, Sigenæ Dominus; post crebriora cum Patribus habita religionis certamina vietas tandem manus veritati dedit; Confirmationis Sacramentum Aulico in Sacello Eminent. Cardinalis Kleselius contulit, frontem ipse August. Imperator Patrinus obligavit; in Constantiæ tesseram DEIparæ imaginem societati reliquit. Litteras quin etiam ad suos dederat, quibus quindecim hæresis Ministri suo cum Superintendente, ut vocant, è dictione sua excedere jubebantur. Praeclaris majorum vestigiis institere posteri, quæ habendis ad populum concionibus, erudienda juventute, procurando in ægrorum diu, noctuque solatium, qua reducendis ad Ovile Christi exerrantibus operam in hanc usque diem solerterem, constantemque procurandæ saluti alienæ impendere. Ductæ etiam ex Academico Societatis JESU Gymnasio in Professorum Domum tum August. Imperatoris voluntate, tum Universitatis consensu coloniæ inferiorum quatuor Scholarum 1650. quem in

in finem ad alendos nimirum earundem Professores Excell. D. Rudolphus Comes à Teüffenbach æs amplum obtulit. Ecclesia non minus, supellectili olim sacra omni spoliata, piorum largitionibus ad elegantiam ornata est. Accessere pretiosæ cum primis Sanctorum reliquæ: particula S. Crucis, præsepis, mensæ Cœnæ, ultimæ, columnæ, vestis candidæ Christi; vestis item B. V. S.S. Innocentum, S. Mariæ Jacobi, S. Christophori, & Sebastiani MM. S. Stephani, S. Laurentii, SS. Georgii, & Viti MM. S. Augustini, S. Antonii Abbatis, S. Wolfgangi, cinguli S. Francisci Seraph. In ara SS. Apostolorum: SS. Apost. Petri, & Pauli; SS. Cosmæ, & Damiani; S. Reginæ V.M. S. Andreæ, S. Mathiæ, S. Thomæ Apostolorum; SS. Luciaæ, & Ludmillæ VV, MM. S. M. Quirini, S. Martini Episc. S. Nicolai; SS. Henrici, & Ottonis; S. Ottiliæ; SS. Ignatii, & Xaverii. Sodalitates hic habentur plurimæ; prima è præcipuæ nobilitatis sexu mulibri congregata sub titulo Crucis stellatæ, ab August. Eleonora Ferdinandi III. Conjuge inchoata occasione particulæ S. Crucis, quæ conflagrante auia vehementes inter flamas nihilum est violata; secunda Agoniæ Christi; tertia

sub titulo Assumptæ in Cœlos Virginis  
non nisi Augustos, Sereniss. Eminentiss.  
Reverendiss. Excellentiss. Illustriss. Sodales  
numerat; quarta nationis Italæ sub titulo  
B. V. Immaculatæ, & S. Rochi; quinta Ci-  
vica B. V. Annuntiatæ; sexta Juventutis  
studiosæ B. V. Visitant. septima Cælibum  
B. V. Purificat. octava tironum Opific.  
B. V. Natæ; novissima Sodalitas 72. Chri-  
sti discipulorum de perpetua adoratione  
Venerab. Sacrament. Singulæ privilegiis à  
Roman. Pontificibus donatae,

Domus Probationis S. Annæ Annō 1628.  
August. Imper. Ferdinandum II. naœta Fun-  
datorem; angustum aliquando Sacellum  
Annō 1320. in peregrinorum usum pia-  
quapiam à Matrona ædificatum, Equestri  
dein Ordini S. Stephani cessit; demum ad  
probandos Societatis Novitios opportunè  
constructum. Haud ita pridem elegantem  
formam Templum induit; cui Sacellum D.  
Xaverii conjunctum magnâ piorum fiduciâ  
frequentatur. Reliquiæ Sanctorum haben-  
tur: ossa plura Sociarum S. Ursulæ, So-  
ciorum S. Mauritii, S. Constantii M. SS.  
Liborii, & Saturnini MM. particula item  
S. Crucis, spina è spinea Christi Corona,  
S. Ignatii, S. Stanislai; è brachio S. Annæ  
è Clau-

ē Claustro Maurbachensi Templo huic do-  
natæ.

Monasterium R. R. P. P. Bene-  
dictinorum extra Urbem. Collegium  
R. R. P. P. Piarum Scholarum. Asce-  
terium Religiosarum Virginum  
S. Francisci Salesii.

**A** Nnō 1633. honoribus B. Virginis de-  
Monte Serrato Monasterium, ac Tem-  
plum August. Ferdinandus II. condiderat.  
Eversum id à Turcis Urbem obsidentibus;  
restauratum jam antea; modò à Reverendissimo,  
ac Peill. D. Antonio Monasterii Ab-  
bate ad omnem elegantiam ædificatur. Ma-  
riæ Cellensis imago curante August. Impera-  
trice Eleonora Magdalena Theresia Templo  
huic illata, ut vicinas haberent, quibus  
Cellas Marianas remotas adire non est  
concessum. Supplicatione solenni occu-  
patō propugnaculō Gibraltar August. Leo-  
poldus I. cum Archi-Ducibus sacram ima-  
ginem hoc in Templum deduxit. Inter reli-  
qua anathemata Angustis Eleonoræ ma-  
nibus aurea Sereniss. Leopoldi Archiducis,  
& Principis Asturiæ statua post trinam pe-  
regrinationem D. Virgini oblata.

Colle-

Collegium R. R. P. P. Piarum Scholarum August. Leopoldus I. Anno 1698. fundaverat, primūmque ejusdem lapidem collocavit. August. verò Imperatoris Caroli VI., ac Celsiss. Principis modò Archi-Episcopi Sigismundi consensu Annō 1719. templum Parochiale effectum. Inter pietatis Officia hīc obiri solita preces à juventute, quam R. R. P. P. in litteris, tum pietate erudiunt, pro incolumente Augustæ Domus, reique Christianæ incremento perpetuae persolvuntur.

Asceterium, & Templum Sanctimonialium D. Francisci Salesii Fundatricem natum est August. Rom. Imperatricem Wilhelminam Amaliam, à qua primus ejusdem lapis positus Annō 1717. Supplicatione publica sacras Virgines ipsa August. Imperatrix hue deduxit Anno 1719. De singulari hac Augustæ pietate, munificentiaque referri aliquando poterunt plurima, ubi omni ex parte perfectum erit opus intueri, in perenne certè monumentum munificentiae transiaturum.

**F I N I S.**

NO.





(-, pseud.) **Theophilo Mariophilo** (= Ulrich Megerle). Stern, So aufß Jacob auffgangen Maria, Deren Heilige Lauretanische Litaney mit so viel Sinn-Bildern, als Titulen Mit so viel Lob-Sprüchen, als Buchstaben in jedem Titul seyn, Vermehret, vnd geziert worden. Wien, Vivian für Groner, 1680. **Kupfertit.** von J. Hoffmann nach M. Hoffmann, 4 Bl., 142 SS., mit 53 Kupfern. – **Vergebd.** (Zinc-greßt, J. W.) Sapientia picta. D.i. Künstliche Sinnernde Bildnussen und Figuren, dar, denckwürdige Sprüch vnd nützl. Lehren . . . Ffm., J. Amnon u. P. Mareschall, 1624. **Kupfertit.**, 1 w. Bl. (st. 4 Bl. Widmung), 100 Kupfertaf. von M. Merien. – **Vergebd.** als erstes: Ortuſ et progreſſus aediuſ religio-ſarum honorib⁹ viennensiū . . . Wien, Schwendimann, 1727. 2 Bl., 108 SS. – 80. Ldr. um 1750.

(8000,-)

I. In keiner uns zugänglichen Bibliographie nachweisbar, auch kein Exemplar in JB der Bücher- und Auktionspreise seit 1906! – Erste deutsche Ausgabe des ersten Emblembuches von Abr. a S. Clara, aus dem Jahr der ersten latein. Ausgabe. Bitsprüche an Maria und kurze Verse unter ovalen Emblemkupfern, über jeder Darstellung latein. Spruch auf einem Band. – **Der Kupfertit.** (Säulenhalle mit großem M) mit kl. Tintenfleck.

II. Goed III, 36, 17, 2; vEdF 192; vEdF (2.Aufl.) 542; Würtblich II, 134; „Merian radierte 1618 in Oppenheim bei Joh. Th. de Bry auf Veranlassung (von) Zingreff 100 emblematische Bilder . . . Ungefähr die Hälfte der Darstellungen versah er mit Ortsansichten, von denen mindestens 34 das Abb. c. bestimmten Stadt oder Gegend zeigen. 18 Medaillons nehmen Bezug auf Schloß u. Stadt Heidelberg . . . Neben Freinsheim u. Basel kommt Oppenheim vor . . . ferner Mainz, Nancy, Neapel, Paris, Rom, Schloß Lustgarten in Stuttgart u. Zürich. – Seltener 2. Druck. der Sapientia Picta, deren Kupferfolge dieselbe wie in Z's „Emblematum Ethico-Politicorum“ ist, doch in bedeutend besseren Abdrücken. Z's Knittelverse unter jedem Kupfer entstanden noch vor dessen erstem Zusammentreffen mit Martin Opitz. – Es fehlt die Vorrede an P. Eckhardt von J. Ammon vom 11.IX. 1623. Der Kupfertit. u. d. 1. Taf. knapp beschritten.

Siehe Akk. C 224

